




KOMPT HER ZV

ICH WILLE VCH ER O VICKEN MA
 ER MIS GOT IST DER
 A. Davv. y.
 Deine schaffe
 höre meine stim
 und ich kenne
 sie und sie gē mir
 und ich bejaende
 ewige leben und
 niemand wird
 sie aus meiner
 hand risse
 O T H S
 MIR ALLE DIE TYP M V H ES SE I G

VND BLEADEN SHID





HENRICI MOLLE-
RI HESSI CARMINVM
SACRO RV M
LIBRI TRES.



EXCVSVM GEDANI,
per Iacobum Rhodum.

ANNO M. D. LXIII.

HERNRIK MOLLER
RI HESSI CARMINUM
SACRORUM
LIBRI TER.



FB 58737

EXCVSVM CED...
per Jacobum Bodmer
ANNO M. D. LXXII

L 199



MAGNIFICIS DOMINIS,
nobilitate generis, virtute,
sapientia & dignitate excellenti-
bus, Reipublicæ Gedanensium
D. Consulibus, totiꝫ Senatus ordini
amplissimo, Dominis &
Mecænatibus suis,
S. P. D.

Henricus Mollerus Hæssus.

Carminibus celebrare Deum, sit prima Camænis,
At virtute graues altera cura viros.

Non decet ingenui vigiles Heliconis alumnos
Ingratos placidi dotibus esse Dei.

Qui mouet ipsorum cælesti pectora flatu,
Vt velut alati summa per astra volent.

Aoniæ rabies nec conuenit ista cohorti,
Vt celebres acri sauciet ore viros.

Qui benè de Musis, benè de sacrisq; merentur
Vatibus, & Clarij nomen honoris amant.

Ipse Medusæis igitur cum verser in hortis,
Assiduisq; rosas vnguibus indè legam.

Huc vigil intendi curas, vt vtrunque viderer
Munus Apollinea continuasse fide.

Nam quibus ornarim prælustres floribus Aulas,
Et generis celebres nobilitate viros.

Hoc Sueones norunt, & equestres Marte Poloni,
Quosq; ferit resono Balthica Nympha mari.

A ij Nouis

Proœmium.

Novit idem Viteberga sacris clarissima rebus,
Novit idem grauibus Prussia diues agris.
Nec nullas, humili meditata pectore, laudes
Diximus in summi nomina sancta Dei.
Vertimus ex sacris non alto carmine libris
Cantica sanctorum multa, precesq; patrum.
Pluraque, quæ forma liber exhibet iste recenti,
Quem modò sub Geminae laudibus edo Crucis.
Regia cui fuluo superincubat ære Corona,
Et tegit expressas irradiatq; Cruces.
Quas gemini in clypeo gestant fulgente Leones,
Qui magni testes nominis esse solent.
Quæ sunt Urbis honos & auita insignia vestrae,
O Dantiscani fulcra decora status.
O & consilijs, meritisq; salubribus ampli,
O virtute graues & pietate viri.
Nititur in quorum Respublica tanta lacertis,
Qua non maiorem Prussia pinguis habet.
Hæc autem volui sacra carmina ferre sub auras,
Vt documenta mea de pietate forent.
Et testarentur me non modò grande virorum,
Sed quoque cælestis per decus isse Dei.
Ast cum non multos sint emaculata per annos,
Nec numeros habeant forsàn ubique suos.
Et tantis neque iurè viris, neque ritè sacretur,
Quod non cura probum sedula fecit opus.
Magnificos vestri titulos cur nominis ausim,
Quæritis, in libri ponere fronte mei?
Si vacat à curis, quarum sacra Curia plena est,
Et

Proœmium.

Et quæ vestra graui pectora mole premunt.
Sique audire libet, vultus adhibete serenos,
Non ingens vestri pagina Vatis erit.
Ut placeam faciet breuitas fortasse: Potentes
Non decet immodica voce tenere viros.
Mens erat, vt cœpi, libros sic ire per omnes
Qui sua de sacris nomina rebus habent.
Sanctorumq; preces & ouantia cantica patrum
Aonia in certos cogere lege pedes.
At dum vix medium turgentia vela per æquor
Dirigo, felices experiorq; Notos.
En plenum grauitatis opus studijq; Siberus
Edit, eoque meum non modò rumpit iter.
Sed splendore sui quoque carminis efficit, vltro
Remigis vt damnem cœpta viasq; mei.
Ergò meas statuens rudiores esse Camœnas,
Quam tenui doctis merce placere queant.
Has cum merce sua mare coniecturus in altum,
In rigida exangues vincula posco manus.
Vos potius, dixi, saturetis in æquore pisces,
Quam macula insonti publica sitis hero.
Hic procumbentes illæ, veniamq; precantes,
Semanimi tales ore dedere sonos.
Parce tuæ soboli, nos mergere parce sub æquor,
Parce tuas nostra tingere cæde manus.
Si tibi nostra salus non est aut gratia curæ,
Nosq; tuæ cymbæ sarcina tanta sumus.
Nos potius sicco iaciens in littore, malis
Asperior, nostræ quàm reus esse necis.
A ij Fluctibus

Proœmium.

Fluctibus extingui, Mors esse grauiſſima fertur,
Malumus in ſterili ſuccubuiſſe ſolo.
Forſan erit, tenuem qui nos de ponat in urnam,
Vt tumulo condi naufraga turba ſolet.
Sed ſi quid pietatis adhuc, fideique paternæ
In calida reſidet pectoris arce tui.
Fac vt adoptemur. Forſan, nobiſq; tibi que
Qui placido nutu gratificetur, erit.
Inuenies fortaſſè viros pietatis amantes,
Qui capiant facili talia dona manu.
Pulchrius eſt alijs ſobolem donare fouendam,
Cœlitus impreſſam quàm violare fidem.
Hic ego ſubridens dixi, Nudaſq; rudesq;
Quis velit optatæ proliſ habere loco?
Olim tempus erat, quo vel mediocris haberet
Pieris officij præmia clara ſui.
Nunc vix, aut etiam vix, excellentibus auſis
Eſt aliquis Muſæ nobilioris honos.
Quæ vobis igitur ſperanda putatis? Egenæ
Eſtis, & haud cultu verſicolore graues.
Hinc ego non video, cui vos obtrudere poſſim,
Gloria cui curæ veſtra ſaluſq; foret.
Hic vna ex illis, me molleſcente, Referrî
Hæc à te nimium vera, fatemur, ait.
Nos equidem nuda ſumus, & ſplendore caremus,
Nec lepida in noſtro corpore forma nitet.
Eſtne igitur ſoboles alijs modò pulchra, decenſq;
Tuq; rudi forma pignora ſolus habes?
Quis tamen eſt adeò ferus, vt ſuffocet in vndis,
Abijciatq;

Proœmium.

Abijciatue truci pignora fœda manu?
Si, nisi quem pulchræ commendet gratia formæ,
Nullus alendus erit, rarus alendus erit.
Te quoque fortè parens tuus abiecisset, amœnis
Non siquidem facies est tua tincta rosis.
Si tamen in lepidis non tantum forma puellis,
Spectari pietas sed quoque vera solet.
Hac equidẽ formæ nos damna re pendimus, hæc est
Qua commendari nomina nostra queunt.
Sit satis esse pius. Quid inanem quæris amictum?
Et laceris fas est carmina ferre Deo.
Nec nos eloqui sumus vbertate potentes,
Vocibus ex nostris fulgura nulla micant.
Nõ equidẽ phaleras, nõ verba tumentia amamus,
Ergõne cunctorum manat ab ore fauus?
Quicquid erit, tolerabile erit, poteritq; probari,
Cum solida iunctum si modò laude Dei est.
Sit satis esse pius. Quid Nestoris ora requiris?
Approbat infantum vota tenella Deus.
Non igitur meritò vita priuabimur, omnes
Corporis, & quod non vocis habemus opes.
Id verò verum nimis est. Quod gratia nostro
Tempore Castalias rara sequatur aquas.
Quod suus haud Musis locus, haud sua gloria restet,
Has aliquid rarus quod putet esse Deas.
Hocq; foret, nobis quo spes animiq; labarent,
Hæc foret ad nostram ianua laxa necem.
Quin hoc adferret diuturnæ tædia vitæ,
Vt nobis essent maxima vota mori.

A iiij Ni

Proœmium.

Ni perspecta foret nobis pietasq; fidesq;
Illeq; non vnquam sat celebratus amor.
Quo Dantiscana dominator in vrbe Senatus
Prosequitur Clarij numina sacra iugi.
Numina præclaris seruantia cultibus artes,
Quæ sunt communis fulcra decusq; boni.
Ille quibus studio patriæ, & pietatis amore,
Sumptibus instituit clara Lycea nouis.
Horumq; insignes tibi commendauit habenas,
Pubis vt ingenuæ mollia corda regas.
Illa fides, fauor ille sacri pietasq; Senatus,
Spe fortunata pectora nostra leuat.
Si patrocínio nos tutelæq; daremur
Illius (vt placidi pectoris esse solet)
Non illum nobis durumq; grauemq; futurum,
Aspiceret nostræ si modò sortis onus.
Esset ad innocuum nos excepturus Asylon,
Vt facili arceret nostra pericla manu.
Illi nos igitur studio committe fideli,
Ille potens nostri causâ decoris erit.
Quod nos nec formæ nec munere vocis habemus,
Ille sua nobis conciliabit ope.
Quid dubitas? tibi cum sit non obscura voluntas
Illius, Anidum qua monimenta fouet?
Scis quo te studio, quo pectore prouehat, vt sit
Ambigere illius de bonitate nefas.
Prætereà qui nos iuuet æqua mente, feratq;
Nos verbis placidos dulcibus ante patres.
Qui faciles aditus, & idonea tempora monstret,
Deque

Proœmium.

Dêque suo nobis addat honore decus.
Constantinus erit Clarus Ferberus alumnus
Laude sacer, Clari præsidiumq; chori.
Atria quo Musis sacer inuitante Senatus
Condidit, æternæ nobile laudis opus.
Consul amansq; Dei, sortisq; & pectoris armis
Splendidus, ac patrij firma columna status.
Accedet facili quoque mente Clefeldius, acer
Iudicio, præstans moribus, ore potens.
Ore Pericleo, quo Regum sæpè potentum
Mouit, & aliorum corda superba virum.
Consul honoratus, sacri laus inclyta iuris,
Et grauis Aonij fautor honosq; iugi.
Hi pietate sua si nos & voce iuuabunt,
Si memores nostræ conditionis erunt.
Nil de Brandisio dubitamus Consule, magni
Nominis, ingenij, consilijq; viro.
Spè de te Preuti magnâ quoque Consul habemus,
O sacer auratæ nobilitatis Eques.
Fortiter insignes defendit vterque Camænas,
Ergo pias nobis porget vterque manus.
Totius accedent suffragia læta Senatus,
Et placidè nostrum suscipietur opus.
His ego commotus, statui seruare precantes,
Et breuibus feci talia verba modis.
Qua possem cogi scistis ratione. Senatus
Quod non tam clari mentio pondus habet?
Quid non Consulibus tantis debetur? Eorum
Quisquis opem implorat, non violandus eris.

A 5 Illis

Proœmium.

Illis vos igitur dono, debebitis illis,
Quod non æquoreas insilistis aquas.
Illorum vobis conseruat gratia vitam,
Eximium famæ conciliatq; decus.
Ite bonis igitur ventis, ac tangite portum,
Istula quæ Codanas spumifer intrat aquas.
Ac Gedani Dominis habilem cõmittite clauum,
Vestraq; in ipsorum tradite vela manus.
Ad clauum sedeant illi, velumq; gubernent,
Stagnaq; vos re soni per maris alta uehant.
Tiphibus horribiles illis contemnere flatus,
Securaq; graues mente potestis aquas.
Murmura compescent illi Boreæq; Notiæ,
Quos ferus Hippotadis liuor & æstus aget.
Hæc fuit omnigena præstans virtute Senatus,
Ad vestros quæ me compulit aura lares.
Præsidiumq; meis vos designare Camœnis,
Sollicitæq; Duces instituisse rati.
Cuius iter placido si vobis ducere nutu
Mens erit, & leni flectere vela manu,
Sicut erit, solita nisi de pietate velitis
Cedere: sollicitum non mihi pectus erit.
Tutus ero, securus ero, nec sæua timebo
Flamina, nec rapidi naufraga saxa maris.

Ex vestra Reipublicæ
Gymnasio.

Henricus

HENRICI MOLLE-
RI HESSI CARMINVM
SACRORVM

LIBER PRIMVS.

Mosis canticum & gratiarũ
actio pro victoria,
Exodi XV.

*Grata Deo suavi modulabor cantica voce,
Nam graue magnifico robore fecit opus.
Obruit vndoso violentos gurgite currus,
Inq̃ mare armatos præcipitavit equos.
Ille Deus, Deus ille meæ est spes firma salutis,
Illius insigni laude trophæa canam.
Ille Deus meus est, mea petra, meumq̃ leuamen,
Illius applausu nomen ad astra ueham.
Est Deus ille mei rupes & gloria patris,
Illius excelsa voce sonabo decus.
Ille Deus, Deus ille, potens est miles in armis,
Et Domini merito nomina solus habet.
Horribili diros Pharaonis turbine currus,
Ferreâque in tumidis robora mersit aquis.
Electosq̃ Duces in hiantem abiecit Abyssum,
Absorbisq̃ truces vnda refusa viros.
Armatas*

Carminum Sacrorum

Armatas rapuit turmas ruber æquore Nereus,
Ceu iaculata vadis saxa vorare solet.
Hæc fecit tua dextra Deus, tua dextra potenti,
Ac subito infestas impete fregit opes.
Destruxit validis sceleratos viribus hostes,
Tam tua inexhaustum dextera robur habet.
Iratu trepido consurgis in arma furore,
Hostilesq; graui discutis ense globos.
Aërea terribili de pascere agmina leto,
Concoquit vt stipulas flamma sonora leues.
Spiritus in geminos diuisit flumina muros,
Vt solidam dederint obstupefaeta viam.
Dissecuit medios mare formidabile fluctus,
Præbuit & populo peruia stagna tuo.
Constitit immotis concretum fluctibus æquor,
Et via per seetas arida cessit aquas.
Persequar, insanis fremuit clamoribus hostis,
Persequar, & pfugos in mea vincla traham.
Comprendam miseræ trepidantia castra phalangis,
Non poterunt vires sustinuisse meas.
Ereptis fortes spolijs onerabo maniplos,
Militibus victæ distribuentur opes.
Sic motæ rabiosa fames satiabitur iræ,
Sic animos pascam sanguine, cæde, meos.
Hæc mea nudato delebit dextera ferro,
Hæc mea de generes hauriet hasta viros.
Protinus emissis reuolubile flatibus æquor
Instantes rupto deuorat amne manus.
Fluctibus

Liber primus.

Fluctibus horrendos resolutis pandit hiatus,
Hostilesq; truci vortice sorbet opes.
Impius in tumidum submergitur æquor Anubis,
Inq; salum proceres, turba superba, ruunt.
In vastam rapido glomerantur turbine Abyssum,
Aërea ceu plumbi lamina ad ima fluit.
Quis superos inter similis tibi maxime Diuum?
In cœli similis quis Deus arce tibi?
Quis tantis Domini par viribus esse valebit?
Est Deus ille potens, est sacer ille Deus.
Est semper pavidus Deus ille tremore colendus,
Omnia mirifica qui ratione facit.
Extendit validæ firmissima brachia dextræ,
Terraq; grassantes hausit aperta minas.
Ipsius hunc populum clementia summa redemit,
Et duxit placida per loca vasta manu.
Hunc Deus inuictus duxisti robore cœtum,
Sunt ubi virtutis sancta theatra tuæ.
Hæc ubi turbatum sparsit vaga fama per orbem,
Terribili gentes intremuere metu.
Exercet timidos angustia sæua Philisteos,
Inuaditq; Moab anxia cura Duces.
Attoniti mæstæ proceres turbantur Idumes,
Et Cananæorum gens stupefacta plage.
Horridus ignavos terror transuerberet hostes,
In magna dextræ vi, Deus alme, tuæ.
Occupet horrendis illos formido procellis,
Irruat in trepidos cura pauorq; viros.

Vt

Carminum Sacrorum

*Vt stent, vt nequeant affixos flectere gressus,
Sicut in obscuris ardua saxa iugis.
Donec parua tui percurrant agmina cœtus,
Qui sacra præsidij sperat in arma tui.
Dum populus, cuius tibi res est publica curæ,
Per loca solliciti plena timoris eat.
Duc illos in sancta tui penetralia montis,
Duc vt sint regni semina læta tui.
Duc, sua vt in sacrum figant tentoria montem,
In quo sunt templi limina sancta tui.
Quem diuina tuæ fecit solertia dextræ,
Chara vt ibi sedis stent habitacula tuæ.
Tu Deus æternos es inexpugnabilis annos,
Tu regis imperium Rex sine fine tuum.
Nã Pharao ingreditur mare, præcipitesq; quadrigæ,
Cornipedes sequitur turba pedestris equos.
Et tu mandasti subito redeuntibus vndis,
Hostis vt infringant cornua dira tui.
Eccè repentino ruit vnda volubilis æstu,
Agmen & horribili deuorat omne sinu.
Aequora sed pedibus calcant hærentia siccis
Fæderis Isacida turba ministra tui.
Pulsemus iucunda Deo psalteria nostro,
Quem præsigne graui laude coronat opus,
Perdidit in medijs pelagi feruoribus hostem,
Qui nostra infestis terga premebat equis.*

Canticum

Liber primus.

**Canticum Mosis, expro-
brantis ingratitude[m] populo,
Deuteronomij XXXII.**

*Aurea lucifluis attendite sidera cælis,
Omnia quæ fido pectore dicta loquar.
Audiat omniparens florentis machina terre,
Hæc ego quæ facili carmine verba canam.
Totius irrorent populi mea cantica sensus,
Ceu flores pluuijs irrigat imber aquis.
Et meus Isacidum perfundat pectora sermo,
Ceu nox stillanti gramina rore lauat.
Nam cantabo Dei nomen, mirabile nomen,
Per laudes nostri nos decet ire Dei.
Huic soli cupido summam date pectore laudem,
Quo neque maior erat, quo neque maior erit.
Integer illius labor est, opus illius æquum,
Illius exornat recta statera vias.
Arbiter in factis est omnibus ille fidelis,
Vnicus est veri iusticiæq[ue] vigor.
Huic mala peruersi peccat generatio cordis,
Illiusq[ue] mala sorde repellit opem.
Non sunt promissæ nisi stirpis adultera proles,
Et macula electæ turpis & atra tribus.
Hæcne tuo reddis gens ab gens impia grates,
Hæccine retribuïs stulta caterua Deo?
An non ipse tuæ pater est autorq[ue] salutis?
Num Dominus, vitam munere cuius habes?
Elapsos*

Carminum sacrorum

Elapsos tecum perpende fideliter annos,
Exige, quid patribus fecerit antè tuis.
Quære, tuiq; tibi narrabunt ista parentes,
Annosiq; sciunt ista referre senes.
Quando Deus certo discrevit limite gentes,
Diuisoq; hominum sparsit in orbe genus.
Constituit Canaan spaciosas diuitis oras
Ad numerum Israël seminis alte tui.
Portio quæ Domini? vos qui gens illius estis,
Est Isaac magni sorsq; tribusq; Dei.
Hunc in deserta perplexi erroris eremo
Repperit, in sterili terribiliq; loco.
Totus vbi duris horreret flatibus aër,
Sterneret & flauas tristis arena vias.
Dux fuit in cæcis nemorum secessibus illi,
Legis & edocuit iura verenda suæ.
Et velut includit molles palpebra pupillas,
Sic illum manibus textit vbiq; suis.
Et velut educit Iouis ales in aëra pullos,
Alarum teneros remigioq; tegit.
Sic illum Dominus fortes assumpsit in alas,
Portauitq; humeris per loca vasta suis.
Ipsam sola Dei duxit manus ardua nostri,
Nec manus alterius fecit id vlla Dei.
Noster eum duxit Deus ac defendit vbiq;
Et dedit excelsi regna tenere soli.
Ipsius & pingui nutriuit munere vitam,
Quo diues grauida messe virescit ager.

Ex

Liber primus.

Ex rigidis oleum sudarunt saxa cauernis,
Stillauit dulces horrida petra fauos.
Manauit plenis butyri massa iuuenis,
Ex fœta niuei copia lactis oue.
Hæc illum dedit admotis exugere labris,
Et sapida agnorum carne leuare famem.
Pingues hircorum renes, farrisq; medullas
Triticci, hos illi misit in ora cibos.
Sustulit ardentem precioso sanguine, plenis
Vitibus exudans quem facit uua, sitim.
Ast ut reppulerat ieiunia ventris, ut ipsi
Reddiderat vires copia larga nouas.
Ut recreatus erat, multoq; abdomine crassus,
Et gereret valido robora firma pede.
Dulcia cum saturum recreassent ocia corpus,
Mox animo in vetitum luxuriante ruit.
Turpiter à Domino, qui condidit omnia, flexit,
Turpiter autorem reppulit ille suum.
Neglexitq; suæ columen prælustre salutis,
Impulit ultorem mente manuq; Deum.
Externis Domini stimulauit cultibus iram,
Pro vero coluit numina ficta Deo.
Execranda dedit saxis & thura metallis,
Nec cecidit vero victima sacra Deo.
Multa peregrinis maectata est hostia Diuis,
Et fumosa nouo splenduit ara Ioui.
Ignotis, vestri quos non coluere parentes,
Sunt data solenni vota precesq; die.
B Excidit

Carminum Sacrorum

Excidit ex animo timor omnis, debitus illi,
Qui genuit verbo teq̄ tuosq̄ suo.
Facta Deo, terram qui fecit & astra, rebellis,
Oblita es Domini turba proterua tui.
Hæc Deus inuito commotus ab æthere vidit,
Ac grauis in sobolem canduit ira suam.
Transijt in iustum violentia mota furorem,
Talesq̄ irato fudit ab ore minas.
Sit mea ad ipsorum facies abscondita vultus,
Auris ad ipsorum sit mea clausa preces.
Quæ tandem re probos maneat fortuna videbo,
Quis ferat ambiguus, me sine, rebus opem.
Sunt etenim rigida gens frontis, & impia proles,
Quæ non pollicitis, perfida facta, stetit.
Exacuere meam stimulis pungentibus iram,
Pro me, qui non sunt, dum coluere Deos.
Finxerunt stolidi fucata piacula cultus,
Turbaruntq̄ animi pectora læsa mei.
Rursus & ipse illos aliena gente laceſsam,
Quæ non est populi læta propago mei.
Per stolidi populos irritamenta pauoris
Ipsorum trepidas exagitabo manus.
Nam meus ardenti succensus in igne, cruentis
Exuret flammis ima barathra, furor.
Concoquet incensos hausto fundamine montes,
Cumq̄ suo in cineres germine vertet humum.
Ipsorum tristi cumulans præcordia clade,
Consumam pharetræ tela cruenta meæ.
Ieiunasq̄

Liber primus.

Ieiunasq; fames exhauriet arida vires,
Vret de pastam febris anhela cutem.
Affligent miserum contagia noxia corpus,
Membra repentina peste grauata gement.
Dirarum nocua colubrorum tabe peribunt,
Et venient rapidis præda relicta feris.
Orbatosq; foris penetrabilis hauriet ensis,
Et pavor attonitos horridus intus aget.
Marsq; metusq; premet iuuenes, timidasp; puellas,
Lactentes pueros, inualidosq; senes.
Nunc vbi sunt? dicam, Me vindice, nomen eorum
Occidet, & nulla laude vehetur iners.
Iamq; quidem cæca traheretur nocte sepultum,
Nexisset tantas ni mea dextra moras.
Nam vereor tumidos irati pectoris hostes,
Ne tribuant gladijs nacta trophæa suis.
Et iactent. Nostræ manus est excelsa cohortis,
Non Domini manus est has operata vices.
Est etenim populus, cuius prudentia mente,
Cuius consilium dexteritate vacat.
O vtinam genus hoc sapienti corde videret,
Sortis & aspiceret fata futura suæ.
Quî possent instante vno dare tergora mille?
Tradere quî bini millia dena fugæ?
Ni Deus ipsorum veluti diuenderet ipsos?
A Dominoq; ipsi turba relicta forent?
Nam Deus illorum, quod & ipse fatebitur hostis,
Non est vt nostri petra Deusq; gregis.

B ij Ipsorum

Carminum sacrorum

Ipsorum vitem colles coxere Gamorrhæ,
Et Sedomitani vinea pigra lacus.
Ipsorum nigro torpescunt felle racemi,
Vnaq; funestam spirat amara luem.
Aspidis horrendæ, formidandiq; Draconis
Virus atrox ipsis ebria vina facit.
An non ista meis sunt occultata latebris?
An non thesauris sunt cooperta meis?
Hæc mea vindictam, cui competit ultio, sumet
Hæc manus, hac hostes retribuente cadent.
Ipsorum certo nutabunt tempore plantæ,
In præcepsq; gradu concutiente ruent.
Ecce dies illis tristem latura ruinam
Instat, & ad finem meta peracta fugit.
Ipse sui iudex etenim gregis, incola cæli,
Pacifico seruis parcat amore suis.
Cum miseræ penitus cernet perijisse cohortis
Reliquias, parvam nec superesse manum.
Cum valido attendet seruata sub obice prorsus,
Ac neglecta pari succubuisse modo.
Cum dicetur. Vbi nunc robora tanta Deorum,
In quibus auxiliij spem posuere sui?
In quibus ipsorum fiducia fixa iacebat,
Qui petra speratæ sola salutis erant?
De quorum sacris altaribus ore premebant,
Victima quas adipos delicia dabant.
Dulcia de quorum libamine vina bibebant:
Dicite, quo lateant numina vestra loco?
Surgant,

Liber primus.

Surgant, & miseris præstent solatia, surgant,
Surgant, & grata vos tueantur ope.
An nunc me solum, solum regnare, videtis,
Et nullum, præter me, superesse Deum?
Hæc mea viuentes demittere dextera leto,
Ex Styge defunctos hæc reuocare potest.
Hæc sanare valet manus, hæc infligere plagas,
Hanc quis ferre potest, quis prohibere manum?
Ipse leuabo meam cœli super ardua dextram,
Et loquar. Aeternos en ego viuo dies.
Igne acieq; meos si tinxero fulguris enses,
Si mea iudicium ceperit acre manus.
Vindicibus sæuos armis vlciscar in hostes,
Pœna trahet, leges corda perosa meas.
Ebria tela, meas inflabo cruore sagittas,
Et gladijs carnes ipse vorabo meis.
Hic occisorum multa de cæde madebit,
Hic gladius captis exitialis erit.
Tempora priuabit comptis inimica capillis,
Vertice detecto nudus vt hostis eat.
O gentes hilari cantus effundite plausu,
Et populo summi pleetra mouete Dei.
Vlciscetur enim cladem cædemq; suorum,
Quodq; potest, famulos eruet ipse suos.
Et rapidos armis victricibus opprimet hostes,
Sed populi clemens proteget arua sui.

B ij Cantus

Carminum sacrorum
Canticum ac Gratiarum
actio Deborah & Barach,

Iudicum V.

Magnifico iustas effundite carmine laudes,
Grataq; supremo pleetra mouete Deo.
Dum pœna vel iniqua graui delicta coërcet,
Et populi lustrat facta nefanda sui.
Vel dum fert populo vires, vt in arma calescat,
In vitæq; sua sponte pericla ruat.
Auribus hæc Reges mea verba recondite vestris,
Attentiq; meis vocibus este Duces.
Ipsa canam Domino gratis præconia pleetris,
Israëliticum laude sonabo Deum.
Vt Deus exiret summo de colle Sciros,
Ac per Idumeos ingrederetur agros.
Obstupuit subito tellus tremefacta fragore,
Et tremulo gemitus quassa pauore dedit.
Stillarunt pluuiæ guttarum flumina nubes,
Sudauitq; graues ater Olympus aquas.
Ardua fluxerunt tumidæ fastigia terræ,
A facie summi, ceu liquefacta, Dei.
Ante Deum populi ius Israëlis habentem,
Arx Sinai pauidis horruit alta iugis.
Samgar Anathides vt vitæ duceret auras,
Solis vt aspiceret lumina clara Iaël.
Omnia desierant hominum vestigia in agris,
Non erat in reëtis semita trita vijs.
Namque

Liber primus.

Namque profecturi, non vero tramite euntes
Tangebant timido deuia strata pede.

Israëlis agri nullo cultore iacebant,
Pagus & absque suis sedibus omnis erat.

Donec ego celeri surrexi Debora motu,
Israëlitici mater inermis agri.

Cum noua gens Domini sibi numina fingeret, hostis
Arma per horrentes improba mouit agros.

Castraq; ad occlusas posuit crudelia portas,
Tunc Iacobigenæ quid valere tribus?

Lancea nulla fuit, nullusq; apparuit umbo,
Per quater Israël millia dena virum.

Ardeo amore Ducum, qui forti pectore, gentis
Sarigenæ duras sustinuere vices.

O vos, quos rapuit per sæua pericula virtus
Ardua, vos summo carmina ferte Deo.

Eia agite, ô nitidæ qui frena mouetis Asellæ,
Et vos iudicij qui graue fertis onus.

Quiq; via legitis celeri vestigia gressu,
Edite vocali verba diserta sono.

Noster vbi cesos exercitus obruit hostes,
Ac vbi collisis plaustra soluta rotis,

Illic iusticiam Domini memorentq; canantq;
Integra quod populo reddidit arua suo.

Qui tunc ad portas tandem descendit a pertas,
Liber vt in veteres egrederetur agros.

Nunc age, nunc resonis extollere Debora neruis,
Et meditare tuo cantica leta Deo.

B iij

Abinoæ

Carminum sacrorum

Abinoë fili, Barach exurge canendo,
Nexaq; captiuis inijce vincla tuis.
Tunc deserta super regnavit turba potentes,
Inq; triumphales est dominata viros.
Per me robustos Dominus conterruit hostes,
Et dedit excelsos in mea vota Duces.
Ephraimitanis Amalech fuit obrutus armis,
Ex illa radix hæc fuit orta tribu.
Hinc & Benjamin victrici robore fregit
Reliquias Amalech bis superate tuas.
Auxilia vt populi proceres præsentia ferrent
Descendere tua de regione Machir.
Armaq; pro calamis sumentes splendida Scribæ
Ex Zabuloniaca profiliere domo.
Stirpis Isachariæ fortes Heroes in armis
Auxerunt cuneos Debora fida tuos.
Hi sunt te Barach in seua pericla secuti,
Ires vt pedibus per loca prona tuis.
A te disiuncto profugus stetit agmine Ruben,
De quo dura meum vulnera pectus habet.
Cur tutis resides inter tua septa latebris?
Et gemitus surda despicias aure gregum?
De te magna tibi Ruben persuasio surgit,
Es tamen ad nostram dissociatus opem.
Trans rapidum Galaad hærebat Iardenis amnem,
Nauigerasq; inter Dan habitabat aquas.
Aser in vndantis cessabat littore ponti,
Securaq; suas sede tenebat opes.

Sed

Liber primus.

Sed populus Zabulonis iter penetrauit iniquum,
Nec timuit dubias Martis adire vices.
Nephtalidesq; suam morti exposuere salutem
In Meromitani rure patente iugi.
Stipati multo venerunt milite Reges,
Moueruntq; truci praelia dira manu.
Pugnarunt in Thanachijs Chananitides oris,
Adq; Megiddonij rauca fluentia vadi.
Duxerunt equidem validas in bella phalanges,
Sed quotus ipsorum lucra petita tulit?
Desuper ex summi lucente cacumine caeli
Sunt rapidos contra praelia mota viros.
Sidera disposito currentibus ordine stellis
In trepidum Sifaræ bella tulere caput.
Casorum tristi demissa cadauera leto
Spumifera Cison voluit onustus aqua,
Exundante ruens Cison feruore: sed illum
Transiui pedibus fortiter ipsa meis.
Vngula cornipedum resonans horrebat equorum,
Omnia concussi plena fragoris erant.
Sternebantur equi, formidine castra ruebant,
Præq; graui fortes terga pauore dabant.
Sit maledicta Meros, Domini canit angelus istud,
Ciuibus in cunctis sit maledicta Meros.
Quod Domino, quod magnanimis Heroibus, æquans
Noluit aduersis ferre diebus opem.
Sit benedicta Iaël, Cincidos vxor Heberi,
Matronas inter sit benedicta Iaël.

B 5 Inter

Carminum Sacrorum

Inter femineos aeterno tempore cætus
Illius insigni nomen honore volet.
Frigida poscenti fontanae pocula lymphæ,
Lac de turgidulo præbuit vtre nouum.
Obtulit in pulchra butyrum dulce patella,
Opperuit timidum vestibus inde Ducem.
Intrepidè clauum læua prensauit abenum,
Malleus à dextra parte fabrilis erat.
Fatiferum Sisaræ per tempora vulnus adegit,
Transfixum plaga rupit hiantè caput.
Per cerebrum ferro penetrauit clauus acuto,
Insolitumq; fera cuspide fodit iter.
Ipsius ante pedes, curuos sinuatur in arcus,
Corruit, ac terræ pondus inane iacet.
Ipsius ad plantas nunc huc nunc voluitur illuc,
Euolat in Stygias vita soluta domos.
Per laxas genitrix Sisaræ speculata fenestras,
Miscbat querulis regia tecta sonis.
Heu heu quæ nati bigas mora longa retardat?
Cur cessant lentis segnia plaustra rotis?
Cautior vna fuit reliquis vxoribus illi,
Hæc dedit ad mæstam talia verba socrum.
Num plenos onerent spolio prædiuite currus?
Num vertant captos in sua castra greges?
Distribuit iam militibus fortasse puellas,
Et sibi formosas eligit ipse nurus.
Arte laboratas & piætas stamine vestes
Accipiet Sisaræ dextra superba mei.
Congeret in prædam contexta monilia gemmis,
Et nitidos cultu versicolore sinus.

Sic

Liber primus.

Sic omnes pereant pœnis vlttricibus hostes,
Qui nihil in Dominum bella mouere timent.
At, velut ex roseo Sol emicat aureus ortu,
Et spargit nitidum fronte micante iubar.
Sic rutilent, sic fulgenti splendore coruscent,
Qui pietate Deum non simulante colunt.

Canticum Hannæ gratias agentis Deo, quod ex sterili fecundam reddiderit. I. Samuelis II.

In Domino exiliunt, conceptaq; gaudia plenè
Pectoris effundunt claustra soluta mei.
Exaltata meæ sursum sunt cornua frontis,
Auxilioq; mea est gloria magna Dei.
Nunc se labra mei dilatauere palati,
Hostilesq; iocos nunc inhibere queunt.
Namque Deus de te toto mihi pectore grator,
Deq; tua letos duco salute choros.
Sanctus vt est Dominus, tam sanctum nulla tulere
Secula, quis præter sanctus in orbe Deum?
In cuius tam firma potest fiducia poni
Robore, vt in gremio conditor almæ tuo?
Quid tumido voces iactatis ab ore superbas?
Quid fluit è vestro futilis ore sonus?
An non cuncta Deus videt, an non omnia nouit?
Num facere arcano numine cuncta potest?
Fortibus attrito virtus euauit arcu,
Infirmisq; nouo robur honore datum est.
Vendidit

Carminum Sacrorum

Vendidit hos Cereris penuria magna, fouebat
Quos prius vndanti copia larga cibo.
Quosq; jamae rabie prius exugebat amara,
Iam saturum pleno robore corpus alunt.
Quæq; prius steriles Hymenæi fœderis annos
Lugebat, septem partibus aucta fuit.
Illaq; fœcundi defecit honore cubilis,
Quæ genitrix raræ fertilitatis erat.
Demittit Dominus violentæ funera morti,
Ac animæ reddit lumina grata nouæ.
Ducit ad infernæ sedes regionis opacas,
Et Stygijs clara luce reducit aquis.
Pauperiem Dominus facit aduersantibus astris,
Et pleno innumeras fœnore donat opes.
Turbine præcipiti sublimes deicit ausus,
Eq; humili sursum tollit in alta loco.
Subleuat in turpi deiectum sorde, viriq;
Pulvere de fœdo tollit e gentis onus.
Ut fortunatis statuât cum Regibus ipsum,
In solioq; homines nobilitante, locet.
Nam Domini fines sunt totius orbis, & ipsos
Stat super à Domini terra globata manu.
Proteget illorum placido vestigia nutu,
Qui sunt electi membra sacrata gregis.
Impia per tenebras sed turba silebit inertes,
Namque suo quicquam robore nemo potest.
Omnes horribilis terrorq; tremorq; rotabit,
Qui contra Dominum dicta nefanda sonant.
Concutiet

Liber primus.

Concutiet rapido displosas fulmine nubes,
Hostes vt tonitru sternat hiantes suos.
Hic Dominus pugno qui cuncta potente coarctat,
Arbiter in lati finibus orbis erit.
Infundetque sui vires in pectora Regis,
Eriget & Christi cornua celsa sui.

Oratio Iacobi, confiten- tis suam indignitatem. Gen. XXXII.

O Abrahæ, Deus alte, mei tutela parentis,
O patris Isaaci firma columna mei.
Qui coram, Deus, es mihi talia verba locutus,
Ad patriæ redeas arua beata tuæ.
Sanguine coniunctos post tempora longa reuifas,
Ipse tuam multis spem cumulabo bonis.
Chare Deus, tanti non est mea ponderis ætas,
Vt meritis possim non minor esse tuis.
In me quæ pleno benefacta fauore tulisti,
Singula quàm vires sunt potiora meæ.
Hoc etenim gessit tantum mea dextra bacillum,
Vt trans Iardenias ferrer egenus aquas.
Qui nunc diuitijs creui feliciter amplis,
Vt mea subsidijs turma duobus eat.
Me, Deus alte, mei de viribus eripe fratris,
Frater Esau magni roboris agmen habet.
Aspera

Carminum Sacrorum

*Aspera non possum non illius ora vereri,
Germani terret me grauis ira mei.
Scilicet extimeo, ne tristibus irruat armis,
Paruaq; cum misera pignora matre necet.
Tu mihi non vana Deus es sic voce locutus,
Quod benefacta mihi fundere multa velis.
Et velut equoreo sparsas in littore arenas
Dilatare mei seminis omne genus.
Ut numerare meos ita possit nemo nepotes,
Sicut arenosi grana pusilla maris.*

Precatio Mosis, Exodi XXXII.

*Mi Deus incenso cur pectore colligis iram?
Cur furor in populum sauiat iste tuum?
Quem de Niliacæ duxisti finibus oræ
Per vim, perq; manus robora magna tuæ.
Cur gens insultans nobis Memphitica dicat?
En quàm versuta mente fefellit eos.
Educti nostræ sunt ex regionibus oræ,
Auiæ replerent vt iuga clade graui.
Vt per desertam casos iugularet eremum,
His genus elicuit scilicet istud agris.
Dux fuit, vt meritos occideret ense: redemit,
Amplius istorum ne foret vlla salus.
Non tumeat sic ira tui contracta furoris,
Nequicia populi ne moueare tui.
Ipsius*

Liber primus.

Ipsius admissis esto placabilis, esto

Lenis, & ardoris tela reconde tui.

Sis Abrahæ, sis Isaaci memor, ac Iacobi,

Hos placida seruos respice fronte tuos.

Non iuratus enim per temet inaniter illis,

Cœlica soluisti talibus ora sonis.

Semen ego tanta cumulabo propagine vestrum,

Aequet vt astriferi sidera clara poli.

Vt vestri teneant æterno iure nepotes,

Promissi dabitur terra beata soli.

Precatio eiusdem.

Numeri XIII.

Si Deus omnipotens nos peste necaueris acri,

Aegyptus miseras audiet ampla vices.

Ex illius enim media regione tulisti

Hunc populum, dextræ vi mediante tuæ.

Tum quæ finitimas spargetur fama per oras

Incola quid terræ de gener huius aget?

Quos apud attonitis increbuit vrbibus, isto

In populo solium numinis esse tui.

Atque per hæc facie ad faciem te castra videri,

Et super hac nubem stirpe cubare tuam.

Te per nubiferam præcedere luce columnam,

Atque per ignitam nocte silente trabem.

Si velut ergo hominem iam nunc extinxeris vnum

Agmina selecti tam populosa gregis.

Quid

Carminum sacrorum

Quid tumidae dicent elato pectore gentes,
Quas iræ rabies hæc aditura tuæ est?
Sic insultabunt, Dominus sancita nequiuit
Fœderis huic populo pacta tenere sui.
Hinc, quia non potuit iuratæ inducere terræ,
Mactat in incultis corpora cæsa locis.
Clareat ergo potens Domini super omnia virtus,
Nam iuramenti sunt ea verba tui.
Est patiens Dominus, Domini clementia finem
Non habet, in Domino non rigor asper inest.
Criminibus veniam indulget, peccata remittit,
Nec gerit vlttrici fulmen inerme manu.
Grande scelus nullius enim permittit inultum,
Mundus vt est, maculas sic tolerare nequit.
Visitat in quarta natorum prole reatus,
Se quibus iniusti prostituere patres.
Huic igitur populo lapsus ignosce nefandos,
Iam bonitas cordis luceat alma tui.
Sis clemens, velut huc errantibus vsque fuisti,
Ex quo Niliaci liquimus arua soli.

Oratio Dauidis, laudantis benignitatem Dei, ob promissum sibi Messiam. II. Regum VII.

Magne Deus, terræ dominans dominantibus, in me
Quæ virtus? sedes quo mea iure viget?
Quod

Liber primus.

Quod me vexeris huc successibus vsque secundis,
Vt mea sit nutu dextera clara tuo?
Nec satis id fuit ante tuos, Deus optime, vultus,
Vt tam sublimis me sequeretur honos.
Sed quoque fatidico responsa favore dedisti,
Quam sortem famuli stirps habitura tui.
Quæ posthac sint fata meos subitura penates,
Si mors iam cineres hauserit atra meos.
Hæc Deus est hominis lex conditioq; potentis,
Vlterius David quid loquar ipse tibi?
Quid loquar vlterius tibi? quid Deus insup addam,
Cum tu cor serui noueris omne tui?
Propter verba tuæ nunquam peruentia linguae,
Pectoris & iuxta sancta statuta tui:
Hæc tam magna modis operatus es omnia miris,
Ne faceres seruo non manifesta tuo.
Hinc tua laus, Deus alte, super vaga sidera fertur,
Hinc volat immenso nomen in orbe tuum.
Namque tui similis non est in secula quisquam,
Tu Deus es, præter te Deus alter vbi est?
Quæ fando nostras iuerunt cunque per aures,
Omnia sunt oris nutibus acta tui.
Quæ gens in terra tantis valet inclyta rebus,
Quæ, velut Israël præstat honore tuus?
Quam Deus exiuit propter? velut illius agmen
In populum vellet sanctificare sibi?
Vt durante suum stabiliret nomen honore?
Tantaq; compleret facta potente manu?

C Quis

Carminum Sacrorum

Quis Deus horribili per terras saeuit aestu,
Vt populi à facie tu Deus alme tui?
Quem tibi de Phario duxisti carcere, vt ora
Liber ab istius gente Deisq; foret?
Sic tibi adornasti genus Israëlis, vt esset
Aeternum populi chara propago tui.
Est, Domine, Israël populus tuus, est tuus haeres,
Tu Deus illius factus es, atque pater.
Id nunc ergo precor firma per saecula verbum,
Quod placido rebus fatus es ore meis.
Quod seruoq; tuo semel es, domuiq; locutus
Ipsius, ô illud fac Deus esse ratum.
Sic tua magnificum semper laus nomen habebit,
Vt de te sermo talis vbique sonet.
Est exercituum Dominusq; Deusq; potentum,
Ius Israëlis qui regit omne sui.
Tum stabilita tui domus & Respublica serui
Te coram firmo stabit eritq; gradu.
Namque supreme Deus, Deus Israëlis, apertas
Hæc aures serui personuere tui.
Personuere, mihi quia sic es voce locutus,
Ipse tibi stabiles edificabo domos.
Hinc tuus incenso flagrans in corde minister
Has tibi prolixo fudit amore preces.
Verum tu Domine ô dominans, tu solus & vnus
Es Deus, & firma stant tua verba fide.
Certa reuelasti clara præfagia voce,
Prospera Davidis rebus itura tui.
Incipe

Liber primus.

Incipe nunc igitur, cape nunc exordia, serui
Ut domus æternum sit benedicta tui.
Utq; infinitos te coram duret in annos,
Est in promissis ut Deus alme tuis.
Nempe sacro firmata tui domus omine serui,
Pollicitas à te semper habebit opes.

Gratiarum actio & oratio eiusdem, I. Paralipo. XXIX.

O Israël, patris ò Deus vnice nostri,
Nominis in famam laus sonet ampla tui.
Ardua maiestas, inuicta potentia, numen
Magnificum dextræ sunt Deus alme tuæ.
Te penes est celebri victoria clara triumpho,
Debetur meritis gratia cuncta tuis.
Nam quæcunque cauus vertigine circuit æther,
Quæq; capit magnæ limes apertus humi.
Quæ polus altus habet, quæ continet infima tellus,
Omnia sunt iuris scilicet illa tui.
In nutu stant regna tuo, super omnia princeps
Celsus es, & cunctos vincis honore Duces.
Polles diuitijs, te coram gloria sistit,
Quicquid vbique, sacra tu grauitate regis.
In manibus, Rex summe, tuis est maxima virtus,
Grande potestatis robur, & omne decus.

C ij Fascibus

Carminum sacrorum

Fascibus imperij, sceptrorū ornare superbo,
Est opus, in nutu stansq; manensq; tuo.
Ergo supreme Deus grates tibi soluimus amplas,
Laudis & euehimus nomina magna tuæ.
Nā quis ego, populusq; meus? quò sponte queamus
Largiri templo talia dona tuo?
A bonitate tua suscepimus ista, tibiq;
Obtulimus dextræ munera larga tuæ.
Nam peregrina sumus te coram turba, tribusq;
Aduena, nostrorum ceu fuit ordo patrum.
Et velut vmbra leuis, nostræ sunt tempora vitæ,
Cui mora festinum nulla retardat iter.
O Deus, ô nostræ custosq; datorq; salutis,
A nutu pendent omnia iura tuo.
Cuncta manu locuplete tenes, En venit abunde
Ex manibus rerum copia quanta tuis?
En de fonte tuo quantus defluxit aceruus?
Ultrò quem nostræ distribuere manus.
Nominis vt, Deus alme, tui splendoribus amplis
Ara domusq; per has ædificetur opes.
Te scio, chare pater, scrutari pectora, noui
Cor delectari simplicitate tuum.
Hinc quoque sponte mea, largis hæc omnia rebus
Pectoris ex ima simplicitate dedi.
Quin mea saltarunt hilari præcordia motu,
Ceperunt oculos gaudia læta meos.
Quod tuus hic populus, qui coram cernitur, ultrò
Obtulerit de opibus munera tanta suis.
Nunc

Liber primus.

Nunc Deus ô Abrahæ, pater Isacos, arx Iacobi,
Unice nostrorum tutor & ara patrum.
Fac ut mens eadem perstet, fac ista voluntas
Hereat in populi cordibus vsque tui.
Utq; tuum recto veneretur numen honore,
Ad te fac animos illius ipse trabas.
Da sincera meo Salomoni pectora nato,
Da quæ iusticiæ semper amore flagrent.
Ut decreta tui, legesq; & pacta statuti
Seruet, & exactis omnia rebus agat.
Et vigil instituat firmis hanc molibus ædem,
Ad quam sunt studio cuncta parata meo.

Lamentatio Daudidis super Saulem & Ionatham, II. Samuelis I.

Tristibus Israël super hos attende querelis,
Quos mors indigno vulnere seua tulit.
Qui generosa tuæ florebant lumina gentis,
Heu super excelsis interiere iugis.
Ab sunt à rigido crudeliter ense perempti,
Tam cadere illustres quî potuere viri?
Vocibus hæc nullis memorentur in vrbe Getarum,
Fama per Asclones non eat ista vias.
Incircumcisi ne filia gaudeat hostis,
Neue palæstinis orta triumphet agris.

C ij Rore

Carminum sacrorum

Rore tui nunquam madeant ô Gilboa montes,
Non ipsos pluuijs imber inundet aquis.
Non ipsos agris fruges flauentibus ornet,
Ne sacra primitijs germina ferre queant.
Namque ibi fracta virum gemuerunt arma potētum,
Heu ibi quassa suo robore scuta iacent.
Saulis ibi clypeus, ceu non foret vnctus oliuo,
Concidit, & nullo ruptus honore iacet.
Incerto nunquam Ionathas sua spicula neruo
Direxit, Saulis non fuit ensis iners.
Semper caesorum redijt de sanguine tinctus,
Fortium in hoc nullus quando pependit adeps.
Saul Ionathasq; suo pulchri splendore steterunt,
Vllus in ipsorum dum fuit ore vigor.
Et quos iunxit amor per vitam mutuus omnem,
Hos neque mors tristi falce diremit atrox.
Magnanimis Aquilis perniciosior, atque Leonum
Fortior inuictō pectore vterque fuit.
Israëligenæ lachrimas date, flete, sorores,
Anxius in Saulis funere planctus eat.
Arte laboratis vos vestibus ille tegebat,
Vt non delicijs vester egeret amor.
Coccineo vestrum splendebat corpus amictu,
Arctabantq; vagos aurea vincla sinus.
Heu quī lugubribus fortes cecidere sub armis?
Tantosq; hauserunt praelia saeva Duces?
Occidit excelso Ionathas in monte peractus,
Heu Ionatha, heu mortis lugeo fata tua.

Tu

Liber primus.

Tu mihi germano vixisti iunctus amore,
Ipse tuo semper letus honore fui.
Me fauor iste tuus flammis maioribus vssit,
Ac in honoratas vlla cupido nurus.
Vnicus à fida ceu natus matre fouetur
Sic tu, sic Ionatha, fatus amore meo es.
Hei qui magnorum cecidit prostrata Ducum vis?
Armaq; deuictis disiliere viris?

Precatio Salomonis, pe- tentis à Deo sapientiam, III. Regum III.

Fouisti, Deus alte, meum Dauida parentem,
Et seruum placido semper amore tuum.
Sic vt constanti tua iussa tenore secutus
Continuit veri iusticiaeq; vias.
Non illum tristi pietas tua lege fefellit,
Sed thalamo natum sufficiente dedit.
Qui, velut indicijs hæc lux testatur apertis,
Occupet excelsi regia iura throni.
Me, Deus alme, tuum Dauidica sceptrum ministrum
Pro patre fecisti ferre, tenere, meo.
Sed puero nondum mihi prouida contigit ætas,
Vt norim egressus, introitusq; meos.
Tum moderanda meis est hæc vicinia frenis,
In qua stant populi mœnia structa tui.

C iij

Qui

Carminum sacrorum

Qui magno equoreas examine vincit arenas,
Ne numero includi copia tanta queat.
Sensus ergo tuo dociles infunde ministro,
Fac me cordati lumen habere viri.
Ut rectis populosa tuæ sic agmina gentis
Legibus, & iusto ducere iure queam.
Ut quoque solerti possim discernere cura,
Quæ sit imago boni, quæ sit imago mali.
Quis siquidem valeat proprijs virtutibus ingens
Iudicium populi sustinuisse tui?

Oratio eiusdem, vt exau- diantur orantes in templo, III. Regum VIII.

Isacidum Deus, an tanti sit numinis alter,
Qui Maieitati par queat esse tuæ?
Non vsquam, neque suspensi super æthere cæli,
Est neque depresso talis in orbe Deus.
Tu miserate, tuis custodis fœdera seruis,
Qui constante tuum corde sequuntur iter.
Quæq; tuo seruo responsa, meoq; parenti
Sunt data, Dauidi certa stetero tuo.
Ore locutus ea es, dextraq; potente replesti,
Ut probat hic firma cognitione dies.
Nunc igitur Dauida tuum, Deus vnice, seruum,
Nunc da certa meum pacta videre patrem.
Stent

Liber primus.

Stent ipsi promissa tuæ non irrita vocis,
Quæ sic de cœlis insonuere tuis.
Non vnquam tibi, me coram, delebitur Heros,
Qui gerat in populo regia sceptrâ meo.
Si tamen ipsa tuo proles de semine nata
Intra septa viæ manserit æqua suæ.
Ante meos vt iussa terant vestigia vultus,
Ceu tuus est verum pes comitatus iter.
Dauidi nunc ergo meo promissa parenti
Nunc infallibili sint stabilitâ fide.
Sentiât an quisquam, putet an sic vllus, in istâ
Te sedem terra constituisse tuam?
Cum te nec summi spaciôsa volumina cœli,
Nec capiat lati maximus ordo poli.
Quo minus, infinite Deus, te parua fouebit
Hæc domus, in laudes ædificata tuas.
Huc tamen, alme Deus, clementi respice vultu,
Et reputa serui vota leuata tui.
Auribus accipias vocemq; precesq; benignis,
Admouet hac seruus quas tibi luce tuus.
Recta tui nunquam vertantur lumina vultus,
Sed super hanc pateant nocte dieq; domum.
Aspiciantq; locum, de quo sic fatus es olim,
Laus ibi consistet nominis alta mei.
Quæ tuus hîc seruus tibi verba precantia dicit,
Auribus ista tuis percipe, magne Deus.
Hinc ad summa tui veniant habitacula cœli,
Ac penetrent aures omnia vota tuas.

Carminum sacrorum

Quæ tuus hîc placida seruus pietate precatur,

Quæq; Israël's vox petit æqua tui.

Audi, cumq; preces molli cognoueris aure,

Ipsas propicia fac bonitate ratas.

Si quis in alterius caput est operatus iniquè,

Iurandoq; id adhuc reëtificare studet.

Adq; tuas aras hac iuraturus in æde

Venerit, id summi personet astra poli.

Eueniant quò iusta tuis, te iudice, seruis,

Atque luat pœnas improba lingua suas.

Tuq; reum sceleris damnes, faciasq; relabi

Semper in iniusti propria facta caput.

Iusta sed innocuum sententia soluat, vt æqua

Lance ferat reëtæ præmia grata viæ.

Si tuus Israël propter sua crimina fusus,

Inq; fugam duro versus ab hoste, cadat.

Pœniteatq; tuosq; piè fateatur honores,

Hacq; tibi supplex fundat in æde preces.

His tu propicias intendens cœlitus aures

Errorum populi non memor esto tui.

Sed placida in terram fac ipsos sorte reuerti,

Patribus ipsorum quam tua dextra dedit.

Si liquidi fuerint obstructa repagula cœli,

Ne, leuis ob turbæ facta scelestæ, pluat.

Hocq; loco confessa tuum gens nomen, adoret,

Rebus & abstineat clade premente malis.

Tunc audire velis stellantis in arce theatri,

Irritet vt querulas nulla repulsa preces.

Sis

Liber primus.

Sis clemens, seruisq; tuis peccata remittas,
Dans Israëlī peccora munda tuo.
Gressibus ipsorum vestigia idonea monstres,
Errantes falsum ne comitentur iter.
Quæq; tuo populo, Deus alme, tenenda dedisti,
Ista liquoriferis imbribus arua riges.
Si vel amara fames populos exugat egentes,
Vel premat infectas pestis acerba domos.
Si vel edat segetes rubigo, vel æstus adurat,
Si bruchus spicas, siue locusta voret.
Si vexilla volent in agris, & sæuiat hostis,
Et vigili portas obsidione premat.
Seu violenta feros immittat plaga dolores,
Aut infirma grauis corpora morbus agat.
Tunc si quis precibus tua numina pronus honorat,
Obsequioq; tuam supplice querit opem.
Siue sit ille suis priuatus in ædibus hospes,
Siue Israëlīs concio tota tui.
Qui timido meritas cognoscens peccatore noxas,
Pandit ad hanc supplex brachia tensa domum.
Illum de superis, Deus optime, sedibus audi,
Et placida vultus aspice fronte tui.
Quisque suis capiat fac præmia gressibus æqua,
Cor velut ipsius sciueris esse decens.
(Nam secreta hominum tu solus peccora nosti,
Ut te perpetuo quisque tremore colat.)
Donec in hac terra, quam nostris antè dedisti
Patribus, optat & commoda sedis habet.
Si

Carminum sacrorum

Si quis laude tui commotus nominis vnquam,
Huc ex longinquo diriget orbe gradus.
Nomen enim sublime tuum, tensiꝫ lacerti,
Et tua notescet fortis vbique manus.)
Non est ille tui licet Israëlis ab ortu,
Sed genus externo sanguine cretus habet.
Si tamen hoc animo patrꝫ digressus ab oris,
Hac vt verba sue dicat in æde precis.
Exaudire tua cœli dignatus in arce
Des alienigenæ dona petita viro.
Vt, Rex summe, tuum discat cognoscere nomen
Omne quod immenso viuit in orbe genus.
Vt quoque, ceu populi tribus Israëlis, honoret
Et timeat nutus facta stupenda tui.
Hec & templa meæ videat fundamina dextræ
Nomen honorata sorte referre tuum.
Si populus tuus arma suos conuertat in hostes,
Et præfinitum, te Duce, carpit iter.
Adqꝫ viam, lætæ quæ mœnia ducit ad vrbis,
Respiciat, precibus suppliciterqꝫ gemat.
Hanc oculisqꝫ domum, votisqꝫ frequentibus optet,
In decora erectam nominis ampla tui.
Ipsius precibus placatas desuper aures
Exhibeas, iustum iudiciuꝫqꝫ feras.
Si quoque multiplici te lædant crimine (non est
Vllus enim vicꝫs qui sine viuat homo.)
Et mala ob ipsorum tristem tu motus ad iram
Fusos à rapido feceris hoste capi.

Vt

Liber primus.

Vt propè vel longè vinculis ducantur onusti
In terras victor quas inimicus habet.
Si tunc afflictum feriant in pectus, & ad te
Ex vinculis humili vota dolore ferant.
Et respiscentes, dicant in carcere. Iniquis
Sordibus impietas nostra grauata fuit.
Adq̄ tuam versi toto de pectore legem,
Supplice diuinam mente precentur opem.
Ex regione sui si clament iugiter hostis,
A patrijs ipsos qui malè traxit agris.
Teq̄ rogent, terram versus, maioribus à te
Ipforum pacta conditione datam.
Versus & electas sedes, & limina versus,
Quæ posui in laudes nominis ipse tui.
Quæ colis, ex tectis cœli rutilantibus audi,
Nec rigida mœstas fronte repelle preces.
Iudicium querulis facias, sit lenior ira,
Quam populi labes mouit iniqua tui.
Peccatis ignosce, quibus crudeliter à te
Flexere, & virgam promeruere tuam.
Fac vt captiuos fauor illius vsque sequatur,
Cuius in imperio vincula mœsta gerunt.
Parce tuis, ô summe Deus, miserere tuorum,
Nam sunt ex populi posteritate tui.
Quos eduxisti Pharijs ex sinibus, ipsis
Esset vbi fornax ferrea, nulla quies.
Ergo age verba tui, Deus alme, precantia serui
Te coram magni ponderis esse sinas.
Atque

Carminum sacrorum

Atque preces populi super Israël anhelas
Lamina sint vultus semper aperta tui.
Omnibus vt patula succumbas aure querelis,
Quas populus toto fert tibi corde tuus.
Ipse tibi siquidem cunctis ex gentibus hæres
Lectus, habet pacti fœdera certa tui.
Mosis es ista tui fatus Deus ore, vocares
Vt Pharia nostros è regione patres.

Gratiarum actio eius- dem eodem loco.

Gloria sit Domino, qui ceu promisit, amica
Firmauit populi regna quiete sui.
Quæ bona verba suum est per Mosen ipse locutus,
Horum nec minimum non graue pondus habet.
Ex illis nullum frustra cecidisse videmus,
Singula constanti nixa steterè fide.
Nobiscum Dominus, noster Deus, vsque moretur,
Vt benè cum nostris patribus antè fuit.
Nunquam nos iusta commotus bile relinquat,
Nunquam nos oris priuet honore sui.
Ad se nostra suo declinet corda fauore,
Ipsius vt iustum semper eamus iter.
Iussaq; seruemus cum legibus atque statutis,
Quæ voluit nostros non violare patres.
Hæc autem Domino quæ supplex verba peregi,
Ipsius assistant nocte dieq; throno.

Vt

Liber primus.

Vt seruo, populoq; suo res protegat omnes,
Iudiciumq; stato tempore semper agat.

Vt gentes mundi cognoscant totius, ultra
Quod Dominum nullus situe regatue Deus.

Nostra sed in Domino stent pectora fulta, nec illum
Offendant, nostrae qui manet autor opis.

Ipsius decreta, sit hac ut luce, sequamur,
Seruemusq; suo iussa verenda statu.

Precatio serui Abrahæ,

Genesis XXVIII.

Cæpta vacillantis nutantia dirige serui,

O Abrahæ Domini spesq; Deusq; mei.

Nunc presens occurre mihi, nunc obuius adstes,

Sis Abrahæq; meo lenis & æquus hero.

En iuxta vitreum pono vestigia fontem,

Fundit ubi dulcem plena canalis aquam.

Huius at indigenæ sedisq; lociq; puellæ

Haustræ gelidas egredientur aquas.

Huc igitur quæ virgo suis accesserit urnis,

Cui faciam tales ore precante sonos.

Vt sumam gelidos sitienti fauce liquores,

Inclina vrceolum chara puella tuum.

Ipsaq; rettulerit. Bibe: Quin haustura Camelis

Sum quoque, quæ potent, pura fluenta tuis.

Illa sit ipsa tuo, Deus, assignata ministro,

Illa sit Isaaci nupta parata thoro.

Hinc & ego videam, quod sis adiutor Abrami,

Atque iuues Domini vota cupita mei.

Oratio

Carminum sacrorum
Oratio Nehemiæ.
Nehemiæ I.

Eia age stellantis, Deus, eia age conditor aulae,
Optime, summe, potens, terribilisq; Deus.
Fœdera qui stabili custodis icta tenore,
His qui te flamma diuite cordis amant.
Quiq; tuam seruas pietatem firmiter illis,
Qui tua constanti pectore iussa tenent.
Aures huc placidas, oculos huc flecte patentes,
Ut serui accipias seria vota tui.
Quæ Deus alme tuis pro seruis iugiter oro,
Quos Israël scis genus esse tui.
Ipsorum delicta tuæ contraria legi
Confiteor vultus anxius ante tuos.
Es Deus ingenti viciorum lesus aceruo,
Flagra quibus dextræ promeruerere tuæ.
Quin & ego vetitis te contra sordibus egi,
Nec patris domus est intemerata mei.
Heu male præscripto defleximus ordine legum,
Nostra nec est rectam planta secuta viam.
Quæ per sacra tui statuisti carmina Mosis,
Præfixo non sunt iussa peracta modo.
Esto tamen memor, ad Mosen quid dixeris olim,
Tunc vbi præceptum vox tua tale daret.
Si violaueritis turpi mea crimine iura,
Non stabilis vestræ gloria sortis erit.

In

Liber primus.

In varias gressu transibitis exule terras,
Adq̄ peregrinos quisque trahetur agros.
Si tamen aduersis ita pressi cladibus, ad me
Flectatis stabili corda reuersa fide.
Et mea seruetis nisi mandata decente,
Morigeri fida legibus aure meis.
Extremo licet extorres in cardine cœli
Degeritis, rursus vos tamen indè ueham.
Adq̄ locum nutu vos fortunante reducam,
Quem volui sedem nominis esse mei.
Sunt equidem seruiq̄ tui, populusq̄, redempti
A te per validam Marte potente manum.
Serui vota tui, seruorum vota tuorum,
Auribus admittas, mi Deus oro, tuis.
Mi Deus ipsorum grauibus moueare querelis,
Qui cupiunt nomen ritè timere tuum.
Felicesq̄ tui conatus dirige serui,
Cedat vt auspicijs hac benè luce meis.
Fac ne difficile me Rex grauitate repellat,
Sed placido curas sentiat ore meas.

Oratio Esdræ confitentis peccata sua & populi, Esdræ IX.

Mi Deus, ab humiles non audeo tollere vultus,
Hei pudet ad cœlos ora leuare tuos.

¶ Prob,

Carminum sacrorum

Proh dolor, infando scelera infinita reatu
Sunt super euietum multiplicata caput.
Nostraq; tam multis exundat sordibus ætas,
Ut quasset superas impietate domos.
Sanguinis à nostri priscis autoribus indè
Heu petulanter ad hunc egimus vsque diem.
Sic nos à viridi vitam produximus æuo,
Ut sit contiguas culpa secuta vias.
Hinc quoque, cum nostræ Mystis & Regibus oræ,
Hostibus effecti mœsta rapina sumus.
Heu propter reproba delicta frequentia vitæ
In multo gerimus grande pudore iugum.
Incidimus Regumq; manus, ensesq; cruentos,
Compedibus nostri pesq; manusq; sonant.
Deicitur facies pudibundo nostra rubore,
Id quod & hæc nullo monstrat honore dies.
Nunc tamen à Domino nobis spes parua refulsit,
Luxq; repentinum fudit oborta iubar.
Nam quod relliquiæ nostra de gente supersunt,
Ambigat à nostro nunquis id esse Deo?
Illas nempe fouet, turbæ quò donet egenti
Vel clauum sancta montis in vrbe sui.
Ac vt hebescentes nobis illustret ocellos,
Seruat in exilio corpora nostra graui.
Ut sic det modico florentem tempore vitam,
Hic vbi seruitij nos graue pulsat onus.
Serui namque sumus, sed in hac nos sorte iacentes
Non potuit Domini deseruisse fauor.
Huc

Liber primus.

Huc intercedens illius gratia, fecit
In nos Persarum blandus ut esset amor.
Pacavit dominos in Perside sceptrā gerentes,
Ut sinerent vita nos & honore frui.
Utq̄, instaurantes templum sublime Tonantis,
Erigerent lapsæ tecta soluta domus.
Ut sepem nobis in Iudæ finibus vnam,
Quæ foret à Solyma non procul vrbe, darent.
Quæ nunc quæ restat, Deus, excusatio nobis?
Quid nostrum post hæc os memorare potest?
Quandoquidem re probo malè declinauimus ausu,
Et tua non veriti linquere iussa sumus.
Quæ tu mandasti sacros monstrare Prophetas,
Taliaq̄, edicti verba sonare tui.
Est ea, quam veluti proprios intrabitis agros,
Detestabilibus terra profana modis.
Per fœdas populi sordes, habitantis in illa,
Est execrandis prorsus operta vijs.
Adq̄, ambas immersa suis squaloribus aures,
Obruta spurcitie, labe grauata, iacet.
Cum natis ipsorum igitur, sit iungere vestris
Fœdera natabus grande marita nefas.
Nec vestris natas ipsorum ducere natis
Sit fas: infandis prorsus abeste toris.
Vlla nec illorum per secula quærite pacem,
Ipsorum vobis sordeat omne bonum.
Ut manus imperio potiatur vestra potente,
Vosq̄, bonas terræ dente prematis opes.

Dij Utq̄

Carminum sacrorum

Ut per æternum vestro de semine natos
Tam grauium hæredes sufficiatis opum.
Sed post hæc, in nos quæ deriuata coibunt,
Ob reprobæ noxas & mala facta viæ?
(Cum tu nos misera de pressos mole leuâris,
O Deus ad nostras flexilis vsque preces.
Et dederis nobis cum libertate salutem,
De qua dat certas lux hodierna notas.)
Nunquid erit, cum frangemus tua vincula rursum?
Soluemus fragili cum tua iussa fide?
Nunquid cum terræ populis firmabimus huius
In detestandis pacta marita toris?
Hæc si fecerimus. Nunquid Deus vnice rerum
Arbiter, ardoris non cadet ira tui?
Donec sit penitus nostris de partibus actum,
Et sit relliquis non super vlla salus?
Israëligenæ Deus & Rex maxime gentis,
Iustus es, & meritò tam graue nomen habes.
Nos seruamur enim, velut hæc lux monstrat apertè,
Ut restaurandæ simus origo domus.
Ecce graues nostra te coram labe iacemus,
Nam stari vultus sic nequit antè tuos.

Oratio Iosaphat,

II. Paral. XX.

O Deus æthereis dominans è sedibus orbi,
O & nostrorum tutor & ara patrum.

Num

Liber primus.

Num tu cœlorum Deus es? num maximus Heros?
Qui terrena manu regna potente moues?
Magna tuæ vis est, & magna potentia dextræ,
Quis contra vires audeat ire tuas?
Nū tuus, alme Deus, populos valor expulit omnes,
Cultores huius qui regionis erant?
Num veteri turbans exutos sede, dedisti
Ipsorum populo rura serenda tuo?
Num tuus Israël, Abrahæ te semper amanti
Stirps, hæc æterno iure colenda tulit?
Num coluit? num sancta tuæ palatia laudi
Illic instituens, talia verba dedit?
Si nos terruerint, sors lamentabilis, enses,
Plaga furens, pestis dira, cruenta fames.
Stemus & has, quarum seruant penetralia nomen
Sancta tuum, votis mollibus antè fores.
In nostriq; tibi ploremus clade doloris,
Te tunc auditas velle iuuare preces?
En quid atrox Ammon? en quid Moabita minetur?
Accola quid celsi Siros iniquus agat?
Vt populi classes Israëlidos à te
Ex Pharijs magna vi traherentur agris.
Non impugnarunt gentes hostiliter istas,
Namque voluntatis lex erat illa tuæ.
Ergo pepercerunt istarum sedibus vltro,
Ne desolata diriperentur opes.
Non fuso cæsos hauserunt sanguine ciues,
Non misera victos strage dedere neci.

Carminum Sacrorum

En quid retribuunt? en quæ benefacta reponant?

En memori reddant quas pietate vices?

Vt nos ex illis extrudant sedibus, adsunt,

Adsunt, vt nostris vi potiantur agris.

Nempè tua nobis terras ex sorte statutas

In sua iura truci Marte vocare student.

Num pœnis igitur feries vlttricibus illos?

Tamq̃ fera iudex impietatis eris?

Vis equidem nostræ non est tam magna cohortis,

Vt contra tantas audeat ire manus:

Nedum possit atrox illorum sternere robur,

Qui nos innumeris aggrediuntur equis.

Incertos igitur trahit huc nos terror & illuc,

Humana casti quid faciamus ope.

Te solum, te respiciunt, Deus vnice tutor,

Te solum poscunt lumina nostra Ducem.

Oratio Ezechiaë contra

Regem Assyriæ,

IIII. Regum XIX.

O Iacobigenæ Deus & pater optime gentis,

O super alatum qui Cherubina sedes.

Tu Deus es solus, valido tu iure cœrces,

Aurea qui regno sceptrâ potente gerunt.

Dextera sublimes tua condidit ætheris arcus,

Condidit & terræ grande natantis opus.

Omni potens

Liber primus.

Omni potens huc inflexis Deus auribus audi,
Ut videas, vultus lumina pande tui.
Impia Sennaberib audi ludibria, cuius
Est in viuentem lingua soluta Deum.
Nuncia quæ misit blasphemis aspera verbis
Leserunt viui nomina sancta Dei.
Quis negat? Assyria Dominos regione potitos,
Gentes cum terris edomuisse suis.
Ense necasse viros, & humum texisse fauillis,
Ipforumq; rogis imposuisse Deos.
Nempè Deos, solidæ qui nil virtutis habebant,
Fictilis humanæ qui labor artis erant.
Ex lignis simul & lapidum compagine facti,
Hinc traxit fragiles iusta ruina Deos.
At tu vere Deus, nostræ spes vna salutis,
Eripe nos tanti de feritate Ducis.
Totius vt terræ cognoscant regna, sciantq;
Te solum veri numinis esse Deum.

D iij Hen:

HENRICI MOLLE-
RI HESSI CARMINVM
SACRORVVM

LIBER SECVNDVS.

Concio Leuitarum, &
peccatorum confessio,
Nehemiæ IX.

*Surgite nunc, animosq; & corpora tollite sursum,
Surgite, & aeterna laude sonate Deum.
Nominis ampla tui celebretur vbique potestas,
In quo cum summa gloria laude coit.
Tu Deus omnipotens, tu solus es ille creator,
A quo principium totus hic orbis habet.
Tu suspendisti tantas super aëra moles,
Stat rutili per te machina facta poli.
Cælorum cælos, omnemq; locauit in illis
Militiam, dextræ vis operosa tuæ.
Totius extruxit terræ tam grande theatrum,
Quicquid & ipsa sinu latiuagante capit.
Aequoris immensi salsas fundauit Abyssos,
Quicquid & in vastis continet illud aquis.
Omnia viuificas, te exercitus omnis adorat,
Qui meret in superis æra beata choris.*

Tu

Liber secundus.

Tu Deus ille manes, à quo ceu filius Abram
Lectus, & ex patria sede vocatus erat.
Hunc ut duxisses Chaldæis fidus ab Orchis,
Tunc Abrahamæ nomen cæpit habere nouum.
Sed quia vidiſti cor illius eſſe ſerenum,
Et tua perfectò verba tenore ſequi.
Ipsi percuffo iuraſti fœdere, cunëtis
Te genus ipſius velle iuuare vijs.
Ut caperent agros Cananæi iuris opimos,
Quos & Amorrhæus, quos & Hetthæus arat.
Quosq; Perizæus, quos accola turba Iebuſæ,
Quos Girgaſæa ſtirpe profectus habet.
Nec te pollicitum fruſtrà, res ipſa probauit,
Iuſtus ut es, mera ſunt ſic tua verba fides.
Sollicito noſtros reſpexti lumine patres,
Ut ferrent Nili grande tumentis onus.
Ipſorum placidas tribuiſti vocibus aures,
Ut timido ſtarent ad freta rubra pede.
Plurima feciſti grauibus miracula ſignis,
Sanguinei immanes in Pharaonis agros.
Illius in ſeruos, & regni totius oras,
Miſiſti valida ſigna ſtupenda manu.
Namque recenſebas, altis ceruicibus illos
Contra ſelectos intumuiſſe tuos.
Vnde inſigne tibi ſtatuſti nomen honorum,
Durat in hunc magno quale decore diem.
Ut ferrent medium veſtigia ſicca per æquor,
Eſt à te validi rupta vorago maris.

Carminum Sacrorum

Quæq; sequebantur, ceu vortice saxa profundo,
Sunt in Erythræis obruta castra vadis.
Illos nubiferæ duxisti mole columnæ,
Sole per exortum frena regente diem.
Et præcessisti rutilantis in igne columnæ,
Luna per tenebras lora tenente graues.
Ut fax per noctem luceret euntibus, illos
Ne vagus in falsum duceret error iter.
Tu Deus in Sinai descendens culmen, ad illos
De supera cœli fatus es arce tui.
Veridicas leges, & idonea iura dedisti,
Cumq; tribunali recta statuta suo.
Tunc iniunxisti sacræ tua sabbata lucis,
Ut ferres tonitru iussa verenda graui.
Ut per sancta tui monstrares cornua Mosis
Rectificas leges, iustificasq; vias.
Si malesuada famas illos vrgeret, Olympus
Depluit ætherei plena canistra cibi.
Si grauiore flagrans illos sitis vreret æstu,
Vitrea ex petra fluxit hiante latex.
Hæc operata tui vis est (mirabile) nutus,
Funderet vt lymphas petra, da pesq; polus.
Hæc etiam tandem dixisti verba: Secundis
Rebus vt optatas ingrederentur opes.
Et caperent terras, quas largireris vt ipsis,
A te iurando est certificata fides.
Sed patres rigida nostri ceruice rebelles,
Te contra vetitis incubuere vjs.

Non

Liber secundus.

Non auscultarunt tua iussa fideliter, aures
Largiri eloquijs non voluerunt tuis.
Non reputauerunt secum miracula, coram
Ipsis vi dextræ continuata tuæ.
Imò duricia mentis petulante superbi,
Non conducibiles instituere vias.
Nam contenderunt animo insultante reuerti
Ad graue seruitij limen onusq; sui.
Tu tamen indulgens illis, non clade nocebas,
Sed clemens, patrij plenus amoris, eras.
Et ceu conuiuens oculo patiente, fouebas
Iugiter effreni castra profana gregis.
Et licet ignitis conflarent follibus aurum,
Insana vitulum perficerentq; manu.
Atque dato canerent libamine: Duxit ab oris
Qui te Niliacis, est Deus iste tuus.
Est Deus iste tuus, Deus est, ascendere fecit
Qui te sollicitis ex Pharaonis agris.
Inq; Deum iacerent conuicia turpia verum,
In te, qui supera es verus in arce Deus.
Attamen haud pietas tua magna recessit, vt ipsos
Perderet in sterili plaga famesq; loco.
Fulgida non vnquam nubes euauit, ipsis
Quæ solita est rectam luce notare viam.
Claraq; per noctem non deflagrauit, euntes
Vt vespertinum flamma doceret iter.
Spiritus ille tuus, tibi par bonitate, Magister
Peruigil ipsorum, te tribuente, fuit.
Te

Carminum Sacrorum

Te fundente dapes habuerunt semper opimas,
Inq̄ calorifica pura fluenta siti.
Tu Deus in vastis aluisti sedibus ipsos,
Sicut deficeret lustra per octo nihil.
Non longi ipsorum nocuerunt vestibus anni,
Haudq̄ via attritos læsit acuta pedes.
Tu populos ipsis, & regna superba dedisti,
Has radij sortes distribuere tui.
Angulus accepit nunc hic, nunc ille, procella
A populi dantes anxia terga tui.
Sic Regum possedit opes, Hesebonis & Oggi,
Gens tua, sic captos Marte Sebonis agros.
Illius æquasti numero cœlestibus astris
Progeniem, nudi pulueribusq̄ soli.
Adq̄ graues lætis duxisti frugibus oras,
Illius addictas quas habuere patres.
Promissas igitur patribus, cepere nepotes,
Et valida terras obtinuerunt manu.
Quarum ius longo Cananæi tempore habentes
Victorum stabili succubuerunt iugo.
Ac demiserunt trepido sua colla timore
Israëlitici sub noua iura pedis.
Indigenas huius victis cum Regibus oræ
Sic populi arctasti viq̄ manuq̄ tui.
Huius ut arbitrio starent caderentq̄ coacti,
Huius ut & serui deliciaeq̄ forent.
Insuper excelsis inclusas mœnibus urbes,
Et Duce te pinguem gens tua cepit humum.

Ac

Liber secundus.

Ac possedit opum plenas splendoribus aedes,
Omnibus intrauit tecta referta bonis.
Ex puteis, quos munierat vetus incola terra,
Illa suis dulces vsibus hausit aquas.
Vitiferos colles, turgentes fructibus hortos,
Et nitidis oleis consita rura tulit.
Est defuncta epulis, multa pinguedine creuit,
Ac saturo infestam depulit ore famem.
Delicijsq; noua multis affluxit in ora,
De generi bonitas quam tua magna dedit.
Sed te difficilem variè irritauit ad iram,
Projiciens legem post sua terga tuam.
A te deflexit, tua iura & iussa reliquit,
Et rapido vates sustulit ense tuos.
Innocuos vates, qui coram testibus illam
Criminis & lapsus admonuere sui.
Suntq; cohortati, turpi vt statione relicta
Ad tua cum sanctis castra rediret auis.
Sed blasphema fuit, dictisq; incessit amaris,
Addidit & grauibus facta proterua minis.
Est igitur meritò violentis hostibus à te
Tradita, & indignis exagitata modis.
Cum tamen ipsa tibi, fatis ita pressa sinistris,
Funderet in fragili vota precesq; sono.
Tu miseris placidas tribuisti questibus aures,
His patula cœli victus in arce tui.
Et Saluatores solita pietate dedisti,
Qui populi assererent perdita iura tui.

Non

Carminum sacrorum

Non tamen ante tuos iterum delinquere vultus
Destitit, & vetitas ire redire vias.
Si modò per tutas paulum requiesceret vrbes,
Aq̃ soporato pax leuis hoste foret.
Tuq̃ reliquisti rapidis victoribus illum,
Sub quibus ingenti pondera mole tulit.
Hic ad te vocem respiscens edidit altam,
Teq̃ preces sensit non repulisse suas.
Tu siquidem præbens non surdas cœlitus aures,
Afflictæ vindex conditionis eras.
Inq̃ tua bonitate dabas placideq̃ diuq̃
Ipsum dote tua præsidioq̃ frui.
Perq̃ sacros testes, adiunctaq̃ signa monebas,
Intra legis eum septa manere tuæ.
Sed fuit id frustra. Non destitit esse superbus,
Et surda monitus abnuere aure tuos.
Non in iudicijs (quæ si quis fecerit, indè
Viuet) honoratè perstitit ille tuis.
Detrectauit onus refugis portabile tergis,
Quod populo leges imposuere tuæ.
Cervicemq̃ suam fremitu indurauit amaro,
Nec dictis aures præbuit ille tuis.
Non tamen in pœnas iuisti protinus acres,
Sed tua per multos languit ira dies.
Et flagra vindictæ plures protraxit in annos,
An velit in iussas ille redire vias.
Id quod es & vatum testatus voce tuorum,
Elaminis instinctu feruidiore tui.

Sed

Liber secundus.

Sed non ille suas tua verba recepit in aures,
Nec tua iussa sui ponderis esse tulit.
Ergo manus etiam ruit in victoris atroces,
Factus inhumanis mæsta rapina viris.
Sed tu non, quoniam Deus es clemensq; bonusq;
In rapidos totum passus es ire rogos.
Fecisti bona signa tui lucere fauoris,
Vndè nec extinctus funditus ille fuit.
O igitur fideiq; tenax, firmataq; seruans
Fœdera, terribilis, magne, potensq; Deus.
Non tibi sint omnes, veluti res parua, labores,
Quos omnis populi pertulit ordo tui.
Ordo Sacerdotum, Regumq; Ducumq; potentum,
Et cum vaticinis cœtibus, ordo patrum.
Ac omnes populi classes, à tempore Regis
Assyrici, ad nostros, proh dolor, vsque dies.
Tu tamen es verax, & iustus in omnibus istis,
Quæ nos supplicio corripuere graui.
Nam tua nos meritis afflixit dextera plagis,
Nostraq; vita malo crimine plena fuit.
Vita Sacerdotum, Regumq; Ducumq; patrumq;
Et tenuit legis nemo statuta tuæ.
Nemo tuis cupidas mandatis attulit aures,
Testibus aduertit pectora nemo tuis.
Quid tua non illi bonitas affudit abundè?
Num dedit innumeris regna superba bonis?
Num spacio insignem dedit & pinguedine terram,
Illius antè oculos, illius inq; manus?
Non

Carminum Sacrorum

Non tamen obsequio fuit aut tibi gratus honore,
Maluit alterius subditus esse iugo.
Non est à studijs vetitisq; malisq; reuersus,
Hæsit in informi turpiter vsque luto.
Hinc hodiè pressi violenta mole iacemus,
Ac misera serui conditione sumus.
Ecce, Deus, nostris quæ patribus arua dedisti,
Vt saturi illorum fruge bonisq; forent:
Nos ea conspiciunt seruili sorte gementes,
Ac alienigenis sunt operosa viris.
Sunt alimentorum, grauiumq; feracia frugum,
In decus illorum, magnaq; lucra, Ducum.
Quos propter sordes voluisti inducere nostras,
Vt premerent tristi tergora nostra iugo.
Ceu quoque nunc nobis isti dominantur, & vltro
De nostris statuunt, quod voluere, bonis.
Ac opera pecorum nostrorum impunè fruuntur,
Nosq; sub immiti sorte iugosq; tenent.
Ingens est nostræ labor atque angustia mentis,
Omnes in misera clade statuq; sumus.
De quibus vnanimis nunc ipsi fœdus inimus,
Atque damus firma scripta fidemq; manu.
Et nostri proceres signant, nostriq; Leuitæ,
Quiq; à rebus habent nomina clara sacris.
Iuramusq; simul, sancteq; fatemur, ituros
Nos cupidè, iussit quas Deus ire, vias.
Atque peracturos mandata, negocia, legem,
Cunctaq; per Mosis tradita ritè manus.

De

Liber secundus.

**De adulterio Daudidis cum
Bethsabea vxore Vriæ,
II. Regum XI.**

Isaides summo diuinitus auctus honore,
Cum varias inter luxuriaret opes.
Oblitusq; Dei simul, oblitusq; decori,
In scelus horribili turbine fertur atrox.
Conficit innocuum Martis sub imagine ciuem,
Illius & tetro fœdat amore torum.
Sic homicida ferox, sic & lasciuus adulter,
Commouet vltoris pectora lesa Dei.
Et duplici tristes cumulat sibi crimine pœnas,
Tutoris violans iussa verenda sui.
Auspice quo sanctæ fleebat gentis habenas,
Rex super Ebræas lectus & vinctus opes.
Erutus à manibus fuerat quo vindice Saulis,
Accipiens Domini sceptrâ torosq; sui.
Cesserat à medio iam Sol decliuior axe,
Et flexis radijs mitior æstus erat.
Atria conscendens cum Rex sublimia David,
Hic solitus lento se recreare gradu:
Desuper aduertit forma præstante puellam
Abluere oppositis nobile corpus aquis.
Heu caue Bethsabee, te Rex videt improbus, abde
Marmoreumq; genu, marmoreumq; femur.

E **Heu**

Carminum sacrorum

Heu quantos Regi parient tua crura dolores,
Hæc ipsi melius non placuisse foret.
Blanda puellarum, vis ut Vulcania Naphtham,
Inflammata virum pectora, forma rapit.
Cuius tam rigidis præcordia cautibus horrent,
Quæ non virginei forma decoris edit?
An tibi qui flores annis, qui sanguine ferues,
Talia non vsu sæpè venire putem?
Cum David, decies qui iam sex vixerit annos,
Ignibus vratur Cypria fæda tuis?
Qui Rex sanctus erat, cui tot connubia, mentem
Illius illicitis motibus intrat amor.
In scelus horribili rapitur deforme ruina,
Ocia securo pectore quisquis agit.
Ergo Matronæ motus splendore lauantis
Se cupido David sentit amore trahi.
Cum neque conceptos extinguat protinus ignes,
Sed foueat rapidas corde volente faces.
Inficiunt totas incendia sæua medullas,
Captaq; depascunt militis ossa sui.
Sic breuis accenso scintilla in fomite gliscens,
In validos ignes, si foueatur, abit.
Ut quoque correptas furis ardentibus ædes,
Flauentesue satis de populetur agros.
Dimittens igitur sua nuncia bellus amator
In sua Bethsabeen tecta venire iubet.
Adductamq; sibi mox in penetralia ducit,
Ac simul amplexu colla sinumq; premit.
Heu

Liber secundus.

Heu quid agis, quid adulter agis, quod turpiter erras?
Quò te præcipitem cæca libido trahit?
Vnica præstantis virtutibus vxor Hethæi
Est ea, qui pro te fortiter arma gerit.
Quam graue, quod faceret scelus execrabile diues,
Cui plenum multos seruat ouile greges.
Si celebraturus conuiuia splendida, septis
Ex proprijs teneram sumere nolit ouem.
Sed rapiat, iubeatque cocos mactare, tenellam
Omnes fortunas ciuis egentis ouem.
Hic quam difficili sumptu nutriuerit emptam,
Quamque simul mensam pauert ante suam.
Et quæ cum natis placide succreuerit ipsi,
Ipsius ore bibens pocula, premensque dapes.
Quæ misero suauis fuerit, ceu filia patri,
Quam semper placido fouerit ipse sinu.
Quam malè quam faceret diues crudeliter iste,
Tam malè nunc David luxuriose facis.
Vxores te mille fouent amplexibus, vnã
Cur non Vriæ solius esse finis?
Tu furtim thalamos equidem nunc illius intras,
Sed scis terribili cuncta patere Deo.
Hic à te claro Phœbi sub lumine pœnas
Exiget, ac noxas non teget vmbra tuas.
In te de proprijs impellet sedibus hostes,
Qui thalami incessent iura marita tui.
Nec gladius Martis tua limina deseret vnquam,
Incumbent domui magna pericla tuæ.

E ij Quod

Carminum Sacrorum

Quod, licet Vriæ thalamos violaueris, ipsum
Insuper hostili feceris ense mori.
Ergo foris te pugna premet, pavor horrifer intus,
Lactabitq; animos seua procella tuos.
Quam tibi Bethsabæe prolem lachrimabilis edet,
Hæc poterit septem vix superesse dies.
Seminis illicitos in semine punit abusus,
Detestans Veneris turpia furta, Deus.
Vimq; suæ natus tuus inferet indè sorori,
Rursus & vltoris fratris ab ense cadet.
Hic quoque, te contra, ciuilia bella mouebit,
Tuq; fugam mota seditione dabis.
Filius alta tui conscendet fulcra cubilis,
Inq; oculis populi polluet ista tui.
Impia te ludent mordacibus ora cachinnis,
In caput vndabunt probra minaq; tuum.
Nec tibi pernicies soli, sed pluribus vnà,
Qui tua, vel nati signa sequentur, eris.
Nempè tui propter lasciuos pectoris æstus
Ciuili Galaad cæde rubebit ager.
In nunc atque foue turpes in pectore flammæ,
Alteriusq; vago læde furore torum.
Cladibus est magnis tua compensata libido,
Cura voluptates excipit ampla breues.
Hæc exempla tuam moueant insignia mentem,
Concubitus vetitos quisquis adulter amas.
Si non, alterius cum coniuge furta, Prophetæ
Tam sancti vindex fuit inulta Deus.

Quid

Liber secundus.

*Quid tibi facturum censes? caue turpis adulter,
Impendet capiti pœna propinqua tuæ.*

*In natalem Iesu Christi,
Fily Dei, & Messia.*

*Iam vetus exacto declinat mense December,
Et nouus inuerso cardine Ianus adest.*

*Temporis hæc series festum solenne reuoluit,
Natales agimus quo pie Christe tuos.*

*Quo tua concinimus benefacta sonantibus hymnis,
Et ferimus cunis annua sacra tuis.*

*Soluimur in grates, iteramus iubila plausu,
Et damus in genesin xenia Christe tuam.*

*Quid tibi nostra potest aliud præstare voluntas?
Mentibus humanis debile robur inest:*

*Et tua tam miris cunabula rebus abundant,
Vndique tam suauis plena salute scatent*

*Vt vix angelicæ satis illa stupescere mentes
Sufficiant: hominum quid leuis vmbra queat?*

*Vocibus æthereæ pleetrisq; frequentibus aulæ
Vix capitur meriti fama pusilla tui.*

*Quid fiat miseri linguis infantibus orbis?
Non apicem poterunt laudis arare tuæ.*

*Balbutire tamen, tuâq; incunabula circum
Ludere, & huc illuc ista mouere iuuat*

*Et carmen teneris meditari dulce susurris,
In stabulo tales & geminare modos.*

E iij Nate

Carminum Sacrorum

Nate Dei, Mariæ soboles, peramabilis infans,
Amplior ô mundi limite, parue puer.
Tûne Deo similis, par maestate, coævus,
Tûne patris virtus effigiesq; tui?
Humanæq; iaces indutus membra figuræ,
Et tegis in forma numen e gente tuum?
Principijq; expers, mortali nasceris ortu,
Inq; caduca breui confluis ossa loco?
Tûne illud verbum, nullis effabile linguis,
Quod nihil in tantæ molis adegit opus?
Quod caua suspendit noncuplicis atria cœli,
Quodq; coruscantes fudit in astra faces?
Quod medio stabilem suffulsit in aëre terram,
Tam varias rerum constituitq; vices?
Atque in vitales ex illa mitteris auras,
Quæ fuit auspicio nata puella tuo?
Fitq; opus auctori generatio, filia patri,
Atque creatori virgo creata, parens?
Tuq; puellari (res inscrutabilis) aluo
Egrederis, matris factor opusq; tuæ?
Tûne puer veteri promissum semen Adamo,
Quod calcet Stygij terga cruenta lupi?
Tûne potens Heros, in quo benedictio cunctis
Debeat, & felix gentibus esse salus?
Num te veridici toties cecinere Prophetæ,
Num toties prisca te petiere patres?
Ergo

Liber secundus.

Ergo ades, vt dirum profligas calcibus anguem
Qui fuit antiquo criminis autor Adæ?
Ergo ades, vt reseres Paradisi claustra, reosq;
Patri concilies optime Christe tuo?
Vt sacra priscorum repleas oracula Vatum,
Sanctorum facias vt rata vota patrum?
O libertatis puer instaurator ademptæ,
Amisssæ vindex tunc salutis eris?
Tunc iugum, nostroq; feres à tergore virgam,
Tunc exactoris sceptrum superba premes?
Salve Christe tui genuina parentis imago,
O diuinarum copia diues opum.
Salve iusticiæ dator, æternæq; salutis
Autor, & abiecti conciliator Adæ.
Salve labentis Rex & noua gratia seculi,
Lux ad cœlestes indubitata vias.
Qui magno tristes abigis splendore tenebras,
Et reuehis letum fronte micante diem.
Laus tibi, quod superæ descenderis arcis Olympo,
Nostraq; personæ iunxeris ossa tuæ.
Vt pro delictis innoxia victima nostris,
Vltori lueres iura seuera Deo.
Et nos æterni ueheres ad gaudia cœli,
Quos Acherontæi posceret vnda lacus.
Hinc sine peccatis à virgine clausus & ortus,
Vt peccatorum pura medela fores.
Nam te, concubitu genitrix intacta virili,
Gessit in illeso virgo pudica sinu.

E iij Sanctus

Carminum Sacrorum

Sanctus ab ætherea descendens Spiritus arce
Implevit flatu viscera casta sacro.
Tunc puer Deus es, lato spaciosior orbe,
Tunc infinitæ vim Deitatis habes?
Quem nec aperta queant concludere brachia cœli,
Nec mare, nec laxo terra profunda sinu?
Et caperis gracili teneræ sub virginis aluo,
Pellicula obductus paruula membra rudi?
Tunc decus, splendorq; tui patris, vnica mundi
Lux, quæ solares lumine vestit equos?
Ac tot in obscura gestaris mensibus aluo,
Septus in angusto maxime Christe sinu?
Num tu naturæ præbes exordia toti,
Viuisicq; hominum corda vigore replet?
Et prodis vtero materni ventris in auras,
Mortaliq; tegis corpus inerme cute?
Quid magis arcanum? Deus es, sed nasceris, vt sis,
Ceus Deus es verus, sic quoque verus homo.
Cur homini Deitas nexu sociata stupendo
Tam miris voluit se cohibere modis?
Cur adeò vinculis illum complectitur arctis,
Quod persona hominem necat & vna Deum?
Vt genus humanum tristi damnabile lapsu
Rursus ad æthereas erigeretur opes.
Non alijs erat illud enim reparabile fati,
Iusticia pœnam crimini agente parem.
Progenies læso, nisi consors numine, patri
Pro misera precium conditione foret.
Sufferretq;

Liber secundus.

Sufferretq; iugum, toti importabile mundo:

In peccata furit tam grauis ira Dei.

Nunc igitur Saluator ades, nunc nasceris ergo?

Pro nostra instituis iamne salute dari?

Iamne venis, iamne ingrederis tua tēpla Sacerdos,

Nostra piaturus sanguine probra tuo?

Nempè venis, castis te virgo nixibus edit,

Ipsa puerperij virgo ministra sui.

Quæ ceu te saluo concepit casta pudore,

Sic quoque te saluo casta pudore parit.

Non aliter rutilo transmittit lumine Phæbus,

Transmisso violat nec tamen igne, vitrum.

Salue nate recens, salue indubitabile numen,

O lux in tenebris, inq; labore quies.

Per te libertas nobis afferta refulsit,

Quam ~~Satanas~~ *tristi* mergeret antè iugo.

Antè merebamus mundo, carniq; dolosa,

Scilicet inferno subiuga turba Duci.

His nunc exempti vinclis, te vindice, patris

Reddimur hæredes optime Christe tui.

Iræ natura gnati, iam numen habemus

Propicium summi, te mediante, Dei.

In tetrìs primo concepti sordibus ortu,

Te peccata, sacri, non reputante, sumus.

Antè tenebrarum, Satanæq; tyrannide pressi.

Nil nisi tartarei cætus eramus heri.

Iam per te lucem, præsensq; tenemus Asylon,

Nil nisi cœlestis turba beata chori.

*In hoc versu de
Satanas
2. 67.*

Carminum sacrorum

Hæc siquidem nobis ut tu bone Christe mereres,
Liquisti iuris regna paterna tui.
Ac subiecisti grauibus te spontè procellis,
Ex regnante Deo, factus egenus homo.
Nam licet ingentes vallaueris æquore terras,
Claraq; cælesti fixeris astra solo.
Non tamen in regum fulgenti nasceris aula,
Nec tumidas luxu diffuis inter opes.
Non tua purpureo cunabula murice splendent,
Non tuus Assyrio fragrat odore torus.
Ederis in nudis penetrante mapalibus Austro,
Ut fureret rigido bruma niuosa gelu.
Vinctus fasciis in agresti poneris alga,
Num præsepe tui sponda cubilis erat?
Te nasci iumenta pauent, fœnumq; tremiscit,
Tam casa grande sibi numen inesse stupet.
Aliger ætherea delapsus ab arce minister
Fulgenti pavidos luce colorat agros.
Et pecudum narrat cælesti voce Magistris
Tempora natalis læticiamq; tui.
Nunc igitur saluator ades, mundiq; redemptor,
Nunc ades optatæ conciliator opis.
Iam strepitus nihil hostiles trepidamus, habentes
Te Regem nostri Pontificemq; status.
Ne nos accuses verbis Lex acribus ultra,
En tua qui soluat vincula, Christus adest.
Desine Mors terrere ferox, tuus ecce supernè,
Ut præstet vitæ munera, victor adest.
Dira

Liber secundus.

Dira quid horremus violenti guttura *Auerni*?
Sunt hodiè placidi claustra reuulsa poli.
Si nos vexarunt trepido peccata furore,
En peccatorum iustificator adest.
Iam nihil exitium, pœnasq; tremamus atroces,
Iam pius à nobis non procul vltor abest.
En iacet in stabulo, cœli demissus ab arce,
Placet vt irati numina læsa patris.
Cœlitus vt secum bona naturalia portet,
Ac ea det populo, ceu genuina, suo.
Mortis vt infringat stimulos, debellet *Auernum*,
Et nigra tartarei conterat ora canis.
Hæc tua debilibus tulit incarnatio terris,
Hinc hominis satus es filius, orte Deo.
Nos igitur læto testantes gaudia plausu,
Figimus in meritis grata trophæa tuis.
Soluimus æthereo laudum præconia Regi,
Fundimus æterno debita vota patri.
Quod graue percussit nostro cum sanguine fœdus,
Quod vis æternum rumpere nulla queat.
Dum propriam sobolem, sibi naturaliter æquam,
Ceu pignus nobis præsidiale dedit.
Hoc pater alme tuum clarè testaris amorem,
Quo nostræ curam conditionis habes.
Quis tibi pro tantis, pater ô pater optime, donis
Vel minima grates parte referre potest?
Quid tibi reddamus? num viscera tosta iuueni?
Sed nihil oblati te bouis exta iuuant.

Gratius

Carminum sacrorum

Gratius officium tibi nos pensare nequimus,
Nulla voluntati charior ara tuæ.

Quam Christum cæleste tui si pignus amoris
Excipiat firmo nostra tenore fides.

Et si gratuita per te data fœdera pacis
Conseruent auido pectora nostra sinu.

Et si, quæ nobis in Christo dona tulisti,
Vox indefesso nostra favore sonet.

Ergo tuis cum militijs sic ore canentes
Iungimus angelicis consona pleetra choris.

Gloria Summe Deus, sit in excelsis tibi gloria, seruet
in excelsis. Terra voluntatis sæcla quieta bonæ.

De apparitione Christi in Gentibus.

Quæ noua fulgenti radiant spectacula cælo?

Quæ rutilat medio stella corusca die?

Quid tam mirifico portendit sidere cælum?

Quid iacit insolitas æthra diurna faces?

Quas neque ventosis obfuscant nubibus imbres,

Nec fugat adductis Phœbus apertus equis?

Hæc sunt exortæ solennia nuncia lucis,

Quæ lustret radijs astra solumq; nouis.

Fusca tenebrosa cui Nox caligine cedat,

Atque serenato clara nitore Dies.

Cui polus accensis inseruiat igneus astris,

Qua sine nil claræ sidera lucis alant.

Quæ

Liber secundus.

Quæ lux ista, vago cui pareat æthere cælum?
Cui niteant flammis astra serena nouis?
Prodyt astrorum rector, Dauidica radix,
Floris Iessæi virga decora viret.
Nempè sub humanæ velatus imagine carnis,
In terras supera venit ab arce Deus.
Editus est rerum de virgine matre creator,
Aeterni virtus est caro facta patris.
Filius ætherei Regis, ditissimus Heros,
Filius est hominis factus, inopsq; puer.
Quem licet ignotum misera cum matre, profanus
Truserit in vilem Bethleëmita casam.
Natus vbi membris præsepia dura tenellis
Clauferit, & stupidum fleuerit antè pecus.
Est tamen humanæ vindexq; datorq; salutis,
Est Rex, quem tellus, orcus, & astra tremunt.
Est princeps Abrahæ promissus, vt omnibus Ipso
Gentibus æthereæ Rege darentur opes.
Hos igitur vix credibiles Ducis illius ortus
Mergeret angusto ne casa parua sinu.
Angelus exponit timidis pastoribus illos
Cælitus, & totos cantibus implet agros.
In templisq; graui Simeon venerabilis æuo,
Hannaq; tam mirum testificantur opus.
Quin Sol ardentis longè digressus ad Indos
Vertere retro gradas incipit indè vias.
Atque relabenti cunctis face nunciat oris,
Iam veri autorem luminis esse satum.
At

Carminum sacrorum

At quid stella recens, quid vult spectabile sidus,
Cui nullum radios dispulit antè pares?
Cui non lampade Sol, non cornibus aurea Phœbe,
Haudq̄ coequari Lucifer ore potest?
Cui, licet ingentes succendat in aëre tædas,
Non conferre iubar stella comata valet?
Illud veridicis sidus splendoribus, ortum
Tandem pollicitum prædicat esse Ducem.
Qui peccata tegat, mundi contagia purget,
Aeternam vitam, iusticiamq̄ ferat.
Filius ille Dei est, è virgine natus, vt olim
In rectum miseros ferret ouile greges.
Hunc non ex Abrabæ natis modò sanguine Regem
Constituit summi cura paterna Dei.
Sed quoque dispersis in toto gentibus orbe
Hunc voluit regni diuitis esse Ducem.
Ergo nouum liquido suspendit in aëre sidus,
Hoc vt vatidicum spargat vbiq̄ue iubar.
Et populis magno distantibus orbe reuelet,
Natalem tanti promicuisse Ducis.
Illos vt nati vocet ad cunabula Regis,
Allatum veras indè salutis opes.
Scilicet errorum veniam, vitæq̄ beatæ
Gaudia, per nullos interitura dies.
Est regio, emergens quâ Sol ex æquore Eoo,
Cortice sub Libani thura Sabæa coquit.
Hic Magus ætherei stellis intentus Olympi,
Arcanas rerum colligit indè vices.

Cum

Liber secundus.

Cum genus hoc hominū, qua Christus nocte reluxit,
Spectaret nitidi sidera læta poli.
Ecce refulgentem mirando lumine stellam
Motibus aduertunt enituisse nouis.
Qualem cum nunq̄ vidissent antè, stupefcunt,
Deuotoq̄ recens sidus honore notant.
At sacer incensi per flammæ Spiritus astri
Ipsorum subito corda furore mouet.
Vt penitus statuunt, omniq̄ cupidine credant,
Iam natalitium Regis adesse diem.
Qui regat imperio cælos, mare, sidera, terras,
Omnibus æternam qui ferat vnus opem.
Ergo accinguntur, Christiq̄ palatia quærunt,
Regni participes illius esse volunt.
Non dubios casus, impendia nulla verentur,
Nilq̄ peregrinas difficilesq̄ vias.
Acria nil horrent glacialis frigora brumæ,
Accedant nati dum modò Regis opes.
Ignotas adeunt gentes, orbemq̄ remotum,
Principis vt videant ora decusq̄ noui.
Vestigant tanto puerum molimine Regem,
Illius imperij pars quasi læta forent.
Hunc saluatorem cupida sibi mente requirunt,
Hoc Duce se sperant posse salute frui.
Sed quibus hoc de Rege Magi scitantur in oris?
Cuius eum quærunt in ditione tribus?
Num violenta petunt inuictæ mœnia Romæ,
Quæ domiti summum tunc caput orbis erat?

An

Carminum sacrorum

An potius Solymo celebratam nomine sedem,
Quæ tunc Ausonijs iussa tributa dabat?
Scilicet hanc adeunt, oriundi Regis alumnam,
Hunc norant Christo fata dedisse locum.
Huc ubi post multas hyemisq; viæq; procellas
Delati, Solymas ingrederentur opes.
Ac contarentur sacri de sanguine partus,
Ac ubi sancta noui principis aula foret.
Pontifices equidem, Phariseorumq; Senatus,
Hospitibus Bethles mœnia parua notant.
Istæq; venturo decreta palatia Regi,
Sacra Prophetarum per monimenta, docent.
Sed quotus ipsorum vicinam visitat urbem,
Regi laturus dona pusilla nouo?
Num, licet antè fores habeant cunabula Christi,
Ad natalitios egrediuntur agros?
Propter inauditæ num gaudent nuncia famæ,
Ipsis quæ Regem prædicat esse satum?
Nil minus, insanis imò terroribus horrent,
Anxietas Solymas concutit ampla domos.
Nec modò non orti letantur origine Christi,
Sed quoque bile graui corda superba tument.
Iamq; vafris puerum conantes perdere technis,
Limina despiciunt Regis egenæ sui.
An proceres opibus, tantoq; decore potentes,
In nullo regeret natus honore puer?
Paupere non opus est illis infante: Magistrum
Ipsis aula nitens, non casa parua, dabit.
Pontifices

Liber secundus.

Pontifices igitur tumefacta fronte, vicissim
Negligit auerso regius ore puer.
Ac natalitia veluti sub nocte bidentum
Custodes cunis aduocat ille suis.
Natalemq̄, humili quia consuetudine gaudet,
Illis angelico nunciat ore suum.
Sic hodiè placidum miseris se gentibus offert,
Has etiam curæ quò probet esse sibi.
Excipit Eoos animis Heroas amicis,
Impie nec fastus curat Apella tuos.
Tu vicina casæ magalia visere spernis,
Quæ promissa tui numina Regis habet.
Quamq̄ Magi coram possent vt cernere, tantas
Sunt auida emensi sedulitate vias.
Tu nihil afficeris mirandi sideris ortu,
Quod duxit vigiles ex oriente Magos.
Deq̄ tuo, cupida quem gentes mente requirunt,
Te manifesta nihil nuncia Rege mouent.
Tu monstras alijs nati cunabula Christi,
Nec tamen huc celeres dirigit ipse vias.
Immersus tenebris igitur, luctuq̄ perenni,
Desereris placido Regis ab ore tui.
Sed quia certa vagas sequitur fiducia gentes,
Vtendi meritis optime Christe tuis.
Teq̄ graui quærunt opera, nisuq̄ fideli
Se properant cunis exhibuisse tuis.
Effulgens illis venientibus emicat astrum,
Sectandumq̄ nouo tramite signat iter.

F Nam

Carminum Sacrorum

Nam simul ac Solymis egressi mœnibus essent,
Visuri turres Bethlœmita tuas.
Ecce relucescit, finditq; per aëra sulcum,
Scilicet hæc reduci stella nitore micat.
Quam prius in patrio spectassent orbe per æthram
Spargere diffusas luce recente faces.
Ergo leticia perfusi ingente sequuntur
Hanc velut haud dubiæ signa Ducemq; viæ.
Stellaq; per clarum comitantibus æthera præit,
Et notat optatæ tectæ beata domus.
Ne dubiusq; Magos huc pertrahat error & illuc,
Dirigit illorum per loca certa pedes.
Ut citò repperiant nati penetralia Regis,
Quæsitæq; bona sorte fruantur opis.
Nam simul ac tecti venit super illius aedes,
In quo sancta noui numina Regis erant.
Substitit, immotoq; supra caput igne pe pendit,
Irradians larga culmen agreste fate.
Intrant ergò domum, castæq; parentis amico
Inueniunt pueri membra cubare sinu.
Nec mora se inclinant, ac flexo poplite sanctos
Procumbunt magni principis antè pedes.
Utq; simul donis cumulent insignibus ipsum,
Depromunt patrij munera trina soli.
Regales Auri massas, & Myrrhea sanctæ
Vnguina, cum grato Thuris odore sacri.
Hem quid de pingunt triplicis mysteria doni,
Aurum, Thus, Sanctæ, nobile, suaue, recens?
Thesaurus

Liber secundus.

Thesaurus Regem, Thus Pontificemq; Deumq;
Myrrha sepulchralem signat odora locum.
Sed num Christe Deus gentilia dona recusas?
Chaldaeosq; graui respuis ore Magos?
Num, licet infirmis veniant à gentibus vltro,
Despicias ad cunas xenia lata tuas?
Imò propicijs illos amplecteris vlnis,
Et sinis hæc animo dona placere tuo.
Te quibus agnoscunt Regem, venerantur, honorant,
Declarantq; tuo subdita corda iugo.
Scilicet arridens, & tractans munera palmis,
Ad sua permittis tecta redire Magos.
Nunc Euangelicæ quoque nos sacra lumina stellæ
Sequemur, verum quæ manifestat iter.
Per quod ad hunc puerum vestigia certa regamus,
In quo diuinas inueniamus opes.
Vt qui, peccatum contra, sit gratia: contra
Lueticas animi certa medela cruces.
Sanguineos contra Satanae, pax læta, furores:
Contra sollicitam vita quietæ necem.
Libertas contra metuendæ vincula legis:
Contra Acherontæas lætus Olympus aquas.
Cur igitur cessamus adhuc? rumpamus inertes
Eia agite innocua simplicitate moras.
Ac pperemus ad hunc, qui tam bona præstat abunde
Munera, & oblatas accipiamus opes.
Sed non ingrati, non accedamus inanes,
Cælestis vacuas non amat ara manus.

F ij Aurum

Carminum sacrorum

Aurum magnificè, deuotè Thura feramus,
De Myrrha liquidas sed patienter opes.
Pura sit æternæ doctrina salutis, vt Aurum,
Pura sit in nitido pectore nostra fides.
Dulcia vota Deo, iucundos Thuris odores,
Nostra salutari libet acerra fide.
Sub cruce, quæ mordet ceu tristi Myrrha sapore,
Quæq; laborifera nos grauitate premit:
Luceat insigni patientia nostra quiete,
Et statuant firma pectora nostra fide:
Quod nos à Satana, peccato, & morte, redemit
Morte sua, patris Christus imago sui.
Illi cum patre, cumq; sacro sit flamine semper
Gratia, laus, virtus, gloria, robur, honos.

Triumphus Christi.

Inclytà cum Latij cecinissem festa triumphi,
Nominis in laudem Dux animose tui.
Finnoniæ qui frena regis veneranda Iohannes,
Hæc in pectoribus sunt meditata meis.
Si tanto sumptu tantos cumulauit honores
In decus vnius Roma superba viri.
Quod patriæ pacem, libertatemq; repulsis
Hostibus, & tutas conciliauit opes.
Quod reprobas iunctis euertit viribus vrbes,
Debellare virum quas potuere manus.
Quæ nos in Christi cumulemus dona triumphum?
Quo studio summas excipiamus opes?
Quas

Liber secundus.

Quas hominum caesis feliciter hostibus adfert,
In nostrosq; graui fundit honore sinus?
Quas nobis meruit Christi victoria, quarum
Hæredes illo distribuente sumus?
Isti nos, verae spoliatos munere vitæ,
Omnibus exuerant, viq; doloq; bonis.
Nosq; catenata captiuos mole premebant,
Docta cohors, varijs neëtere vincla modis.
Vt Christo curæ nisi clades nostra fuisset,
Nos Styx flebilibus detinisset aquis.
Quis siquidem nos indè manu potuisset ouante
Ducere, quis tetrae vertere castra Stygis?
Heu fortuna grauis miseros agitasset in æuum,
Tam nihil hic mundus totus habebat opis.
Ergo creaturæ sortem miseratus egentis,
Filius ætherea prodit ab arce Dei.
Nos vt ab exilio reduces inferret Olympo,
Aeterni solium deserit ille patris.
Vlturus, nostris maiores viribus, hostes,
Induit inuictus fortiter arma Gigas.
Quò nos restituat, quò nos in pristina reddat,
O ingens pietas, ô preciosus amor:
Quos non exhaurit iactatus vbique labores?
Quas non perpetitur spretus inopsq; cruces?
Vulneribus liuet, sub pondere pressus anhelat,
Deuouet exequijs denique spontè caput.
Sed necis & Satanae labefactis viribus, Orco
Exilit, ac tandem iam rediuiuus adest.

F ij Vltor

Carminum sacrorum

Vltor adest Serpentis ouans, vt iamq; triumphum
Victor agat, vitæ strenuus autor adest.
Ergo age vincentis fidens in prælia Christi
Huc ades, ô tanto vindice salua cohors,
Huc ades, vt Christo mente occurramus anbelæ,
Et nobis partas accipiamus opes.
Aspice sublimis qua Maiestate triumphus
Luceat, en quanto pompa nitore micet?
Millia cælestis victorem multa cateruæ,
Fulgentis niueis vestibus, antè volant.
Remigys liquidum radiantibus aëra tranant,
Applauduntq; Duci voce manuq; suo.
Hi re præsentant regni simulachra subacti,
Quod profigatis hostibus vltor habet.
Hic est Infernus fumis letalibus halans,
Carcer inhumanæ, nigra Barathra, necis.
Cuius ni morsus hebetasset Christus hiantes,
Horribili miseræ fauce voraret oues.
Hic nos vrgendos ob crimina magna flagellis
Heu expectaret pœna cruenta reos.
Funditus hanc Christi nisi destruxisset Abyssum
Dextera, tartarei regna superba Iouis.
Hic nos æterno crudeliter igne cremandos
Torreret rapidis impia flamma focis.
Hos exussisses auidis nisi Christe caminis,
Vt tegeret vastas dira fauilla domos.
Aspice sanguineam furiosa cæde Gehennam,
Quàm funesta truci gutture monstra vomit?
Hanc

Liber secundus.

Hanc nisi Dux Christus domuisset fortiter, ista
Attereret nostrum carnificina caput.
Hinc alij penna veſti rutilante per auras,
Alternant agili brachia mota gradu.
Et toto exercent reſonantia gaudia cœlo,
Et ſpolia infeſti Ditis opima ferunt.
Hic Malum primis fatale parentibus, hydræ
Quod Stygiæ exudat tetra venena, gerit.
Quod genus humanum malè ſuffocavit, & omnes
Infecit rapidam labe trahente necem.
Hic erasa gerit perfoſſis ſcripta tabellis,
Affixum ſacræ Chirographumq; cruci.
Chirographum contra noſtros immobile lapſus,
Cui Criſtus noſtri fecit amore ſatis.
Hic gerit æternæ collifa repagula porta,
Hic rigido factas ex Adamante ſeras.
Hic demolito ferratos cardine veſtes,
Ille trabes ruptis poſtibus, ille fores.
Hæc vis nulla virum validis excindere nervis
Eualuit, vires hîc nihil orbis erant.
Iſtaq; ni forti rupiſſet robore Chriſtus,
Perpetuos ſtarent inuiolata dies.
Incluſasq; animas firma compage tenerent,
Hinc vt reſreſſum ſæcula nulla darent.
Hic exarmati calcaria flammea Ditis,
Hic gerit occiſæ tela cruenta necis.
Hæc confeciſſent noſtri penetralia cordis,
Eodiſſent miſerum turpiter iſta latuſ.

F iiij Hæc

Carminum sacrorum

Hæc nisi fregisset victoris dextera Christi,
Illorum rigidam ni retudisset acum.
Aspice squalentes tetra fuligine furcas,
Ultrices flammæ, tartareasq; faces.
Quas extinxisset roseo nisi sanguine Christus,
Tristibus assarent corpora nostra rogis.
En quas seuæ cruces nobis tormenta minentur,
Sanguineæ falces, terribilesq; rotæ?
Hæc nobis gemitus & verbera dira tulissent,
Hæc foret in nostrum structa catasta caput.
His insultasset nobis furiosa Megæra,
Ni Christi meritis attenuata forent.
Remigat hinc volucer pictis exercitus alis,
Angeliciq; acies officiosa chori.
Hi manibus plausum geminant, & ouantibus alis,
Euerseæ tenent stagna profunda plagæ.
En vndans Phlegethon quantis torrētibus horret?
Quàm Styx terribiles euomit atra globos?
En quàm Cocytus violenta incendia voluit?
Quàm Lethe turpes nigra refundit aquas?
Quàm tetros Acheron exhalat opacus odores?
Quàmq; vaporosæ dira venena picis?
Hæc nisi restincto siccasset sulphure Christus,
Aeterno eluerent crimina nostra lacu.
Indè Prophetarum succedit amabilis ordo,
Et claras inflat voce sonante tubas.
Vnà Euangelicæ dulcissima nabilia salutis
Pulsat Apostolici leta caterua chori.
Ponè

Liber secundus.

Ponè fremunt bilari cœlestes ore volucres,
Et feriunt suavi pleetra canora manu.
Letas instaurant choreas, liquidamq; per oram
Cymbala blanda mouent, cornua rauca mouent.
Vix tot Iunonis volucres per regna vagantur,
Conspicuis stellas vix tot Olympus habet.
Indè triumphantis fulgent victricia Christi
Signa, laboriferæ sed monimenta necis.
Hæc est infandæ trabs sanguinolenta columnæ,
In qua nudatus verbera sæua tulit.
Quæq; sacro insonitis te puerunt sanguine Christi,
Ecce graues ferulae, loraq; torta rubent.
En quæ molle caput stimulis lacerauit acutis,
Ve pribus hamatis dura coronâ riget.
Hæc est, pro sceptris quam Christus gessit, arundo,
Hoc in ludibrium murice tectus erat.
Hoc fel mordaci labra sicca rigauit aceto,
Hæc hau sit sacrum lancea dira latus.
Hi clauis dura penetrarunt cuspide palmas,
Transfixit miseros liuidus ille pedes.
Hæc est sanguinei durissima stipitis arbor,
In qua pro nobis fata suprema tulit,
Hæc est marmorei lachrimabilis vrna sepulchri,
In cuius latuit vita quieta sinu.
Indè catenati vincētis cervicibus hostes
Antè triumphales præripiuntur equos.
Inuitoq; mouent immania corpora gressu,
Terribiles visu, terribilesq; minis.

Carminum sacrorum

Ille ferox, cuius nescis graua ora tueri,
Est incensa tuis lapsibus Ira Dei.
Illa furore suo nos haud iactaret iniquè,
Ac in tartareas præcipitaret aquas.
Sed Christus meritis illam compescuit amplis,
Ac odium fieret, fecit, vt illud, amor.
Cumq; Deo firmæ nobis consortia pacis
Per necis instituit vulnera dura suæ.
Ipsumq; irato reddens ex hoste parentem
Propicium, amissas sic reparauit opes.
Sed non exiguo tantum sudore fauorem
Asseruit, magni gratia tanta stetit.
Nam prius horrendum quàm fleeteret ille furorem,
Inuictis durum passibus iuit iter.
Tam graue sustinuit lucta certamen acerba,
Quod lingua & ratio prendere nulla potest.
Sanguineas toto sudauit corpore guttas,
Erubuit sacri rore cruoris humus.
Sic irritatum per crimina nostra furorem
Flumine placauit sanguinis ille sui.
Ista cruentatis stimulis & rictibus horrens
Mors est, hei nobis exitiale malum.
Quis numerare potest, quantas hæc bellua strages
Ediderit, mundi dum stetit huius opus?
Millia quot turpi vecors absorbit aluo,
Tot seclis rabies cuius inulta fuit?
Quis Regum valuit tantum frenare tyrannum?
Quis potuit tantæ regna domare luis?
Cum

Liber secundus.

Cum Reges plantis alios victricibus hostes
Calcarint, manibus subdiderintq; suis.
Istius à proprijs non vi cervicibus vlla
Pellere fatales eualuere manus.
I nunc & mundi robur mirare potentis,
Ne vitare quidem tela quod ista potest.
A cœlis igitur quantum Styx ima recedit,
A vero quantum lumine fucus iners.
Mundani tantum cantata trophœa laboris
Distant à nostri Marte potente Ducis.
Illic inductas tenebris squalentibus umbras,
Hic nitidum summi lumen honoris habes.
Hic forti rigidam vicit certamine Mortem,
Hic tua mors, ô Mors, exitiumq; fuit.
Nempè iaces, occisa iaces, sed Vita triumphat,
Prævaluit vindex viribus ille tuis.
Ipsa vorata iaces, Christo victore, Voratrix,
Num Mors ad pugnam victa redire velis?
Scilicet imbelles nunc exanimata lacertos
Duceris in pompis futilis umbra sacris.
Nec modò, peccati vicit stipendia, Mortem,
Istius à morsu tutus vt ipse foret.
Sed potius tanti raptos ex fauce latronis
Vt sibi in æternas associaret opes.
Vtq; trucidantis rabiem contunderet possit,
In cruce confossus fata suprema tulit.
Prostratamq; sua mortem sic morte voravit,
Ne posthac nobis illa nocere queat.

En

Carminum Sacrorum

En quàm liuenti Peccatum sanguine stillat?
En quàm præ nimia debilitate labat?
Hoc nos in miseris ingenti turbine clades
Abripuit, nostri summa ruina status.
Hoc stimulo nostras fodiens Mors improba mentes,
Cæca tenebrosæ trusit in antra Stygis.
Illud vt immensa Christus virtute piaret,
Fit peccatum, omni labe doloq; carens.
Vt generi humano tanta pietate mereret
Aetherei regnum iusticiamq; patris.
Hæc accusatrix humanæ sedula vitæ
Lex est, censura viribus orba suæ.
Despondens animum, iussis exuta seueris,
Elumbis, duplici compede vincita, gemit.
Ista minis hominum terreret pectora crebris,
Damnaret fontes, argueretq; malos.
Ni plenè rigidi decreta potentia iuris
Integritate tua Christe soluta forent.
Hic est, ora tumens, inflatus pectora, Mundus,
Cui ligat auratos magna catena pedes.
Hæc est oblatrans nostræ petulantia Carnis,
Cui turpem stringunt arcta capistra gulam.
Hos quoque, ne fastu, tetraq; libidine mentes
Præcipitent, Christus sub iuga dura trahit.
Vtq; laboriferis illos compesceret armis,
Pectore mansuetus, corpore vixit inops.
Quid monstri? q̄ vultus atrox? q̄ rictus anhelans?
Quã rabida hunc hoste, q̄ fera monstra pmunt?
En

Liber secundus.

En istud tollens stridentia sibila monstrum,
Quod mutilam caudam, collaq; manca trahit:
Est serpens vetiti dux ad contagia mali,
Cui pede contriuit Christus ouante caput.
Crinibus Eumenides orbæ quàm torua tuentur?
Quàm titubante triceps murmurat ore canis?
Iste graui infectum condensans aëra fumo,
Eructans piceos fauce fremente globos,
Cui liuente fluunt polluti sanguine dentes,
Cui rapidas armant ignea tela manus,
Improbus est mundi seductor, & hostis acerbus,
Excæcans varijs pectora capta dolis.
Iste voluntates hominum, sensusq; labantes,
Inflamat contra iussa verenda Dei.
Proq; suo arbitrio permiscuit hætenus orbem,
Exercens miseris atria tanta modis.
Non vi naturæ, non expugnabilis vlllo
Robore, summorum consiljsiue Ducum.
Ergo quid est Christi virtute potentius? illo
Vindice, victæ Satan vis tua fracta iacet.
Te Christus plagis exautorauit acerbis,
Ac odij infregit tela cruenta tui.
Exemit vinclis homines crudelibus, istis
Nodauitq; tuos prædo superbe pedes.
Hinc rabies extincta tua est, extincta tyrannis,
Enerues arcus, ruptaq; tela geris.
En quàm dente lupos terit impatiente rigentes,
Quàm fert impositum corde furente iugum?
Indomitus

Carminum Sacrorum

Indomitus veluti quadrupes, quem dura retentant
Frena, truci spumans aëra calce quatit.
Demolita sui quam nunc palatia regni,
Exemptisq; sua manibus arce fremit?
Sic furit & totas exercet murmure sylvas
Vrsa ferox, catulis despoliata suis.
Hunc igitur firmis constrictum nexibus hostem
Damnatur in abruptæ squalida claustra Stygis.
Damnatur in æterni sordentem carceris aulam,
Est ubi perpetuus nocte silente tremor.
Eia agite ingentem nunc omnes tollite plausum,
Humano generi vis inimica iacet.
Succumbunt laqueis nexi stridentibus hostes,
Qui nos innumeris increpue minis.
Eia iterum letis resonantes edite plausus
Vocibus, & tales ingeminate modos.
Est ubi nunc Inferne tui victoria rictus?
Est ubi nunc stimulus Mors violenta tuus?
Laus tibi Christe potens, Duce te victoria nostra est,
Te rata libertas vindice nostra viget.
In nos iuris habent per te nihil, Ira Tonantis,
Improba vis Satanae, Mortis amara lues,
Sarcina peccati, duræ sententia Legis,
Non Acherontæi fossa profunda lacus,
Non fors inconstans, non formidabilis hostis,
Non ea quæ iam sunt, quæq; futura manent.
Imò certatim per te nos Christe sequuntur,
Gratia coniuncto summa favore Dei,
Inconcussa

Liber secundus.

Inconcuſſa fides, domitrix Satanæq; Stygiſq;
Deq; trucidata fixa trophæa nece,
Peccati veniæ, diuini impletio iuris,
Gaudia in æternos, almaq; vita, dies,
Et mens ærumnis excelsior omnibus, ægros
Deſpiciens, Chriſto vindice nixa, metus.
Nunc animis tandem linguiſq; frequenter adeſte,
Fundite nunc lætis cantica grata ſonis.
Ipſe triumphator curru victore propinquat,
Victor adeſt, hilares pſallite, victor adeſt.
Quantos præmittit radios prænunciis ardor?
Quàm loca diuino lumine cuncta replet?
Sic Titan ſuperas ſcanſurus manè ſub auras,
Ex roſeis claram lampada ſpargit aquis.
Greſſus antè ferens, redimitus ſuauiſ herbis,
Præluſit placidis aliger ordo choris.
Et decerpta gerit victricis brachia palma,
Arboris & ramos pinguis oliua tuæ.
Indulget ſacris fidium modulamine plectris,
Increpat hic citharam, percutit ille chelyn.
Nunc venit æthereis currus pernicioſ auris,
Non fragile humanæ ſedulitatis opus.
Aſpice quàm nitidis roſeum iubar axibus eſſat,
Quamq; nitent altis aurea fulcra toris?
Angelicus denſo circumuolat agmine cætus
Cominus, illuſtres adglomeratq; rotas.
Qui Dominum magno vigil obſeruauit honore,
In Ducis obſequio turba miniſtra ſui.

Non

Carminum sacrorum

Non tantis examen apum vocale susurris
Depascit flores dulcis Hymette tuos.
Nec tantis studijs Siculae thyma peruolat Hyblæ,
Cum ver temperies pandit odora nouum.
Nec verò portatur equis vulgaribus axis,
Quem vindex animo Christus ouante premit.
Mirus vt est victor, sic mira animalia currum
Illius, alato corpore mira, vehunt.
Fortis homo, Leo magnanimus, Regina volucrum
Nobilis, in fragili Bosq; vigore decens.
Tollite nunc duplices erecta fronte lacertos,
Flectite nunc humili pectore vtrunque genu.
Vosq; triumphantis leuibus submittite signis,
Reddentes merito debita vota Duci.
Omnia cui facibus rident elementa serenis,
Cui pandit rutilas ætheris aura fores.
Auricomus facie Sol splendidiore coruscat,
Aura leui dulces aëre mulcet agros.
Assuetæ ripis, pendentesq; æthere pennis,
Innocuos cantus emodulantur aues.
Lignea reflexas demittunt robora frondes,
Spargitur à læto gramine suauis odor.
Murmure blandiri syluas, alludere montes
Aspicias moto vertice, stagna vadis.
Namque suæ Sponsæ Christus qui sustulit hostes,
Dignus vt in clara luce triumphet, adest.
Sublimis curru, cæloq; inuectus aperto,
Aëra per liquidum frena rotasq; mouet.
Vexillum

Liber secundus.

Vexillum, partæ monimenta potentia laudis,
Dextra tenet, mundi firma sinistra globum:
Nunc patet aspectu verus Deus: ore coruscus
In sancto magnum pectore numen habet.
Tam radiat facie, Phœbææ lampadis instar,
Tantus vt in medio fulgeat orbe decor.
Lucentes radij pascuntur tempora circum,
Quantus honos oculis, corpore quantus honos e
It comes extensis Ecclesia libera palmis,
Vindicis in laudes officiosa sui.
Et simul illius ciues, ex morte reducti,
Eg̃ tenebrofi fauce furente lacus.
Exempti Satanae vinclis, & carcere legis,
Asserti pœna supplicioq̃ Stygis.
His nos vnanimi sociemur vt ordine turbis,
Attrabe nos pompæ maxime Christe tuæ.
Et fac illius nos vt splendore fruamur,
Vtq̃ tuum læto corde sequamur iter.
Tandemq̃ amissæ redeamus in atria sedis,
Simus Olympiaci municipesq̃ chori.
Indè potestatum summi globus ætheris ingens
Extremas hilari claudit honore vias.
Immensumq̃ decus resonat clangentibus hymnis,
Ingeminans laudes inclyte Christe tuas.
Gratia Christe tibi: sonus vnus vbique. Recantat
Ex antris Echo: Gratia Christe tibi.
Plausibus & fremitu dissultant ætheris arces,
Responsat resoni culmina summa poli.

G Sed

Carminum Sacrorum

Sed neque tam celebri perfungitur ille triumpho,
Dum modò lux roseis tertia surgat aquis.
Quin à primæua crescentis origine mundi,
Dum stet contiguo terra coacta mari.
Hic & per totum victor circumuolat orbem,
Nec plaga tam celsum continet vna decus.
Hoc transit stellas, hebetatq; micantia cœli
Sidera, nec finem Tethyos æquor habet.
Hoc mirabilius quid, splendidiusq; triumpho?
Hic mundi sordet protinus omne decus.
Tam nitor est huius rutilans & gratia pompæ,
Ut versus hebetent lumina tanta meos.
Quæ vox istius spectacula mira triumpho
Exprimat? aut possint quæ satis ora loqui?
Nulla, licet Clarij pascantur nectare montis,
Aut Aganippæe fonte rigentur aquæ.
Nobilis huc dulci Permessus gurgite manet,
Et totas Helicon fundat amœnus opes.
Non tamẽ hunc iusta cumulabunt laude triumphũ,
Hic erit alter inops, alter inanis erit.
Naturæ incutiunt tot tantaq; facta stuporem,
Hic quæ Dux statuit nullius vsus ope.
Præstitit humanæ quæ ductus amore salutis,
Indè petens operæ commoda nulla suæ.
Aetheris vt nostro præclusas crimine portas
Introitu rursus panderet ille suo.
Nunc igitur victor superas euectus in arces,
Sublimiq; tenens regna paterna throno.
Atque

Liber secundus.

Atque potestates, violenta^q robora mundi,
Cernens sub pedibus strata iacere suis.
Distribuit nullis obnoxia munera fati,
Inter militiae fortia membra sua.
Qui^q sua intrepido vexilla tenore secuti,
Hostibus immotos opposuere pedes.
Effundit sancti dotes in pectora flatus,
Instruat ut dociles, expoliat^q rudes.
Ut recreet lapsos, praestet solatia maestis,
Roboret infirmos, sanctificet^q pios.
Discutiat caeca dubias e mente tenebras,
A^q sua tristes arceat aede lupos.
Noticiam, verum^q Dei confirmet amorem,
Cum spe magnanimam concomitante fidem.
Colligat aeternos per verbi nuncia cœtus,
Quos alacri rectum lumine ducat iter.
Quos in pace regat, summis virtutibus ornet,
Quos doceat veri iussa timere Dei.
Quorum leticia perfundat corda perenni,
Quos faciat castis moribus esse probos.
Præterea fidos illo ducente ministros
Excitat, in messem constituit^q suam.
Ut nos instructæ velut agmina læta cohortis
Ducant ad veri castra beata Ducis.
Ne sine magnanimo miseri ductore cadamus
Rursus in hostili retia tensa dolo.
Quin Mediatorem sese profitetur & offert
Aethereum, si quis flagitet, ante Deum.

G ij Divina

Carminum sacrorum

Diuini placans animos & tela furoris,
Supplice commotum mitigat ore patrem.
Rebus in accisis tutum se præbet Asylon,
Pollicitus gratam, non remoratur, opem.
Sed vult nos contra Satanae, carnisq; procellas,
Et mundi rigidas, arma ciere, minas.
Hacq; in militia, constanti mente, cadentes
Diuitis ad cœli gaudia vera trahit.
Iusticiaq; simul, vitaq; & honore coronat,
In quæ iuris erit Mors tibi victa nihil.

Expositio cuiusdam imagi- nis, ad Henricum Capesum, Biblio- polam Vitebergensem.

Fautor & Aonij studiose minister honoris,
Iuncte mihi patrij iure fideq; soli.
Hoc Dantiscana tibi carmen in vrbe notavi,
Sanctus vbi Aonidum castra Senatus alit.
Ut tibi demonstrem, quo tramite sidera possis,
Quouë tenebrose limen adire Stygis.
Et mihi materiam dabit huius imago figura,
Versibus illustrem quam cupis esse meis.
Nam reor, autorem, qui finxit & edidit illam,
Id voluisse breui significare via.
A re si multum tibi non errasse videbor,
Hac poteris mecum cognitione frui.
Sin

Liber secundus.

Sin aliter, Musasq; meas sua cura fefellit,
Me poteris quiduis non prohibente sequi.
Vndè sed incipiam nodum laxare tenacem?
Non ego Pellæi principis arma gero,
Illius expediam quibus argumenta figura,
Quæ sunt inuolucris obtenebrata suis:
Et dubium faciunt, quò voluar, & vndè reuoluar,
Quid? numeri possent si Ducis esse loco?
Scilicet hos sequar, à medioq; exordia ducam,
Quo sine ad infernū, per quod ad astra, via est.
Pendet ibi sacra sublimis in arbore Christus,
Et rigido læsum vulnere pectus habet.
Et pressus spinis caput est, ferroq; peractus
Distentasq; manus, compositosq; pedes.
Veridici bifido circumstant ordine vates,
Qui docuere: Deum sic voluisse pati.
Quiq; fide infragili clademq; necemq; tulerunt,
Haudq; suum temerè deseruere locum.
Quis non audiuit citharam Davidis? & exul
Vindice sit iusto factus vt ille Deo?
Notus Iob cunētis, quam sors mirabilis illum
Voluerit, in varias impuleritq; vices:
Assidet occluso venerandus codice vates,
Esse Petrus siquidem cunēta repleta monet.
Explicat austeræ Moses ediēta tabellæ:
His Paulus factum iam satis esse docet.
Quem responsa latent Danielis aperta? Leonum
Exitio cui non ira famesq; fuit?

G ij Ostendit

Carminum Sacrorum

Ostendit digitis Christum Baptista, Deiq;
Ille agnus mundi crimina tollit, ait.
Hac stat discipulus percussa mente Iohannes,
Illac exanimi pectore mæsta parens.
Quattuor antè crucem volitant animalia: testes
Personæ Christi quattuor, illa notant.
Quod Deus, et quod homo, quod Rex sit, quodq; sacer
En Aquilã, en hominẽ, cumq; Leone, Bouẽ. (dos,
Clamitat à dextra conuersus latro, Memento
O Domine, accipies cum tua regna, mei.
Huic Sol ad rutilos cæli præfulget honores,
Irradiatq; pia corda beata fide.
Non procul est eadem qui voce manuq; recenset,
Et pia de cathedra verba sonante facit.
Indè fidelis eques, non ære coruscus abeno,
Ad Christum placidi tergo fertur equi.
Vir quoque magnus adit, lumbos succinctus amictu,
Quem populo ex omni magna caterua premit.
Parte sed ex alia, quam Christi læua cruentat,
Impius auerso lumine latro fremit.
Irridetq; crucem Domini, nec ab hospite Luna
Desidis accendi corda retusa queunt.
Aut sese fieri nequaquam posse beatum,
Aut proprijs tantum viribus esse, putat.
Id quod & adiunctus tumido docet ore sacerdos,
Huc meritum Christi qui satis esse negat.
Ut nos eripiat morti, vitæq; reducat,
Accedant propriæ ni pietatis opes.
Asseris

Liber secundus.

Asserit hæc triplicem gestans in fronte coronam,
Et similis Latio veste graduq; Papæ.
Cuius iter multi, non ima ex plebe, sequuntur,
Sed quibus excellens splendor in ore sedet.
Latis pileolis tecti, nitidisq; tiaris,
Atque cohors nudo vertice rafa caput.
Hinc monstrum diris pedibus, caudaq; retorta,
Exhibet in turpi cornua fronte decem.
Et capita extollit septem, strepituq; minatur,
Et gerit in tergo te Babylona suo.
Te matrem scelerum, fœdæq; libidinis arcem,
O meretrix magnis perniciofa viris.
Gemmarum fulges radijs, auroq; propinas
Diuite militibus tetra venena tuis.
Tempus erit cum multiplici lux lampade fulgens
Ad superos iustis irradiabit iter.
Quò per aperta ducem sectantibus ostia Christum
Angelici eueniant gaudia vera chori.
Tunc erit ad sedes tibi ianua clausa beatas,
Angelico in fragiles ense tuente seras.
Tunc, velut haud aditū sanctis præbebit Auernus,
Qui lotos Christi sanguine ferre nequit:
Aula tibi nigri sic Ditis spontè patebit,
O Babylon, Stygio filia digna lacu.
Nec tibi obumbrabit sancti indulgentia flatus,
Ille homini tantum deditus esse solet.
Qui sua cum vera pietate negocia tractat,
Et memori seruat pectore iussa Dei.

G iij

Qui

Carminum sacrorum

Qui vigili sicut primi sudore parentes
Muneris absoluit pensa diurna sui.
At qui se duci Satanae committit habenis,
Ceus reprobus primo fecit in orbe Cain.
Ut vel vindictae, vel opum, vel honoris amore,
Turpiter in fratrem dimicet, inq̄ Deum.
Hic ut spontè sacri spiraminis excutit auram,
Excidit æthereis sic quoque iure bonis.
Cumq̄ p̄j æterna super æthera pace fruuntur,
Et placidi aspicient ora benigna patris.
Iste Dei lætam non contemplantur arcem,
Indè sed æterna morte remotus erit.
Inq̄ tenebrofi pœnas damnatus Auerni,
In Stygias meritò conijcietur aquas.
Non extinguibiles ubi voluunt sulphura flammæ,
Dirus ubi æternis fletibus horror erit.
Hæc sunt, quæ varijs tua monstrat imago figuris,
Quæ si docta velit turba probare, benè est.
Sin minus, haud ægrè patiar meliora doceri:
Qui benè suadenti paret, & ille sapit.
At tu, cui versus hi sunt Henrice dicati,
Cuius & hoc factum nomine, quicquid erit.
Elige, quò ferri cupias, Christine sinistrae,
Illius an dextræ proximus esse velis.
Ad crucis en læuam, nil non immane ferumq̄
Aspicias: oclusas ætheris esse domos.
Ancipites gladios, immansuetosq̄ Leones,
Horribiles tenebras, cornigerosq̄ viros.
Mundanos

Liber secundus.

Mundanos homines, & cum septemplice monstro,
Ostia tartarei semper aperta Ducis.
Hæc simulacra vides ad Christi facta sinistram,
Adq̃ Acherontæas hæc iter esse domos.
In quibus, vt credo, si non habitare laboras,
Ad dextram placidæ lumina verte crucis.
Illic aspicias nil non peramabile, suauem
Psalmographi citharam, clauigerumq̃ senem.
Et Mariam Christi genitricem, agnumq̃ Iohannis,
Atque virum, nomen qui patientis habet.
Sanctorumq̃ gregem, speciosaq̃ lumina Solis,
Vtq̃ venenatæ clausa theatra Stygis:
Sic, Christo pandente suæ penetralia sedis,
Limina stelliferæ prorsus aperta domus.
Hanc intrare cupis si læta fronte, beato
Huc qui te ducat tramite, Christus erit.
Hunc alacri comprende fide, totiq̃ cohære,
Ducat ab hoc mentem sanctio nulla tuam.
Nec sancti excutias cælestem flaminis auram,
Nec contra ætherei iussa parentis eas.
Fer quæcunque potes, rectoq̃ incumbe labori,
Iussit in hoc panem te Deus esse tuum.
Denique nil contra rectum molire, piumq̃,
Sed prudente tuum peçtore munus obi.
Sic non in tenebris, & hiantibus igne caminis,
Luctificæ pœnas experiere Stygis.
Sed simul in lucem, superumq̃ admissus in aulam,
Propicij cernes iugiter ora Dei.

HENRICI MOLLE
RI HESSI CARMINVM
SACRORV M

LIBER TERTIVS.

Verba Dei & precati-
uncula Mosis,
Exodi *XXVIII*.

*Maximus & fortis Deus, & non pronus ad iram,
Longanimis, verax, & pietate grauis.
Qui per mille sua debetur bonitate nepotes,
Ac adimit vitæ turpiter acta mala.
Qui lapsus hominum releuat, tollitq; reatus,
Coram quo culpa nemo grauante vacat.
Natorum in natos vlciscitur impia patrum
Facta, nec immunis quarta propago manet.
Hic Moses subito terram defluxit ad imam,
Et caput inclinans supplicis instar, ait.
Si Deus antè tui non sordeo lumina vultus,
Si tua me placida gratia fronte fouet.
Te votis excelse parens instantibus oro,
Vt Dominus nostrum concomitetur iter.
Est etenim duræ populus ceruicis, & aspre
Pectoris, ac rabie fluctuat vsque noua.*

Te

Liber tertius.

*Tu simul errores nostros, & crimina dele,
Et fac hæredes nos remanere tuos.*

*Querela Iosuaë,
Iosuaë VII.*

*Ab Deus omnipotens huius cur agmina gentis
Per tua Iardenias dextera vexit aquas?
Ut suffocatos propria nos cæde necares,
Dans in Amorrhæas perdita castra manus.
O trans pacificum mansisset Iardenis amnem,
Cæperat vt nostri tota caterua gregis.
O Deus ample quibus mea vocibus ora resoluam,
Hostibus Israël dat quia terga suis?
Hic si notescet Cananæis rumor, & illis
Huius qui terræ fortiter arua tenent.
Nos circum iuncto glomerantes robore cingent,
Noster vt à terra dimoueat horos.
Quid nunc ergò tuæ decus ob mirabile laudis,
Ob nomen facies quid Deus alme tuum?*

*Precatiuncula Mosis,
Numeri XXVII.*

*Fortis & excellens Dominus, Deus omnia viuæ
Qui carnis nutu membra potente mouet.
Eligat ille virum, quem ritibus ordinet æquis,
Et super hanc digno ponat honore tribum.
Qui*

Carminum sacrorum

Qui benè præsideat, qui rectè præeat illi,
Illius educat, quiq; reducat iter.
Ne populus Domini per deuia strata vagetur,
Ceu quæ præfecto destituuntur oues.

Precatio Asæ Regis, II. Paralip. XIII.

Mi Deus antè tuos non est distantia vultus,
Vtrum robustos, inualidosue iuues.
Vtrum vexillis multos victricibus ornes,
An paucos, factu res leuis ista tibi est.
Ergo tuos, es noster enim Deus, eripe seruos,
Nititur auxilio nostra caterua tuo.
Hinc contra tantum descendimus agmen equorum,
Nominis audaces in bonitate tui.
Tu Deus es noster, cæptæ fiducia pugnae:
Non vis præualeat nutibusvlla tuis.

Precatio Agur, Prouerb. XXX.

Te precor immensi fabricator & arbiter orbis,
Hæc, dum viuus ero, ne mihi bina neges.
A me futilitas, à me mendacia longè
Sint Deus instinctu quæso remota tuo.
Diuitias & pauperiem ne fuderis in me,
Hæc modò me victu sufficiente frui.
Hæc

Liber tertius.

Hæc ne fortè loquar, te dira voce negando:
Quis Deus est? nimium si saturatus ero.
Aut paupertatis nimia si mole grauarer,
Efficeret furem me malesuada fames.
Ac ego sic turpi periurus & impius ausu,
In Domini fierem nomina sancta mei.

Votum Hannæ.

I. Samuelis I.

Alme Deus, rerumq; potens, facilisq; precanti,
Affero singultus hæc tibi verba mei.
Si miseranda tuæ dignaberis fata ministra,
Et placida gemitus mente notare meos.
Si te nulla tuæ capient obliuia serua,
Sed te semen erit dante virile mihi.
Ex annis Domino statuam lactentibus ipsam,
Radet & intonsi nulla nouacula caput.

Hiob I.

Vt tener exirem grauida genitricis ab aluo,
Totus in infanti corpore nudus eram.
Cum quoque me tristi lux miserit vltima læto,
Totus in ardentibus nudus abibo rogos.
Nūc Dominus mihi cūcta dedit? data rursus ademit:
Aeterno Domini nomen honore sonet.
Benedis

Carminum sacrorum

**Benedictio populi,
Numeri VI.**

*Præstet amica tibi Domini benedictio vires,
Defendatq; tuas illius ala vias.
Te splendore suæ Dominus virtutis obumbret,
Clementerq; sua te pietate leuet.
Te super intuitu Dominus sit semper aperto,
Tranquillasq; bonæ det tibi pacis opes.*

Isaia XL.

*Omnia stellantis quæ machina claudit Olympi,
Ceu leuis in nihilum fumus & aura cadent.
Sola Dei, quorum cæli virtute creati,
Tempore non vlllo verba perire queunt.*

Matthæi VI.

*Anxia cur varijs oneratis pectora curis,
Cur auida innumeras mente sititis opes?
Querite regna prius summi cælestia patris,
Ille salutari cuncta fauore dabit.*

Vel.

*Cur homo sollicito curarum carperis æstu,
Dum vigili magnas arte requiris opes?
Quære prius summi cælestia regna parentis,
Et tibi de cornu diuite cuncta fluent.*

Luce

Liber tertius.

Lucae X.

*Vt iacet & vacuus numis, & vulnere plenus,
Quem ferus immani læserat ense latro.
Et Samaritani tantum pietate leuatur,
Non à Leuitæ, Sacrificiꝫ manu.
Hi siquidem misera transmittunt voce gementem,
Ille piam cæso fert miseratus opem.
Sic quoque stirps hominum peccati saucia telis
Perdiderat summi cœlica dona boni.
Totaꝫ verberibus Satanae confecta iacebat,
In rigidaè casses iam ruitura necis.
Hic nihil austeræ lex tetrica fronte iuuabat,
Pinguia sanabant hic holocausta nihil.
Sed venit indulgens æterno Christus amori,
Seminecemꝫ pia subleuat ipse manu.
Et ligat & curat confossæ vulnera stirpis,
Et sic ad cœli templa beata vehit.
Hæc suavi cecinit quia Musa Copernica voce,
Hic nihil inuenies quod sine fruge legas.*

Decalogus Exodi xx.

*Non aliena tibi coram me numina fingas,
Me timeas solum, me reuerenter ames.
Haudꝫ tui nomen Dominiꝫ Deiꝫ verendum
Illicitis sumas in tua labra modis.
Dulcia sanctifices deuoto sabbata cultu,
Cumꝫ tuis festa luce quietus agas.
Afficias*

Carminum sacrorum

Afficias charos reuerenter honore parentes,
Ut vitam maneant tempora longa tuam.
Non hominem fuso demittas sanguine morti,
Non infecta truci sit tua cæde manus.
Non turpi macules aliena cubilia stupro,
Incesto violes nullius igne torum.
Non ea surripias, quæ iustè possidet alter,
Illud nec furtim, nec violenter agas.
Non sis in dubio falsus certamine testis,
Nec iactes fratris crimina mæsta tui.
Alterius neque fraude domũ, neque fœnore captes,
Hanc neque prætextu iuris habere velis.
Alter quicquid habet, ne poscas, siue sit vxor,
Siue ministrorum copia, siue pecus.

Symbolum Apostolicum.

Summe Deus, Pater omnipotens, rerumq; creator,
In tua non dubiam numina pono fidem.
Te summi quoque credo patris soboles & imago
Et regere & nostrum Christie fouere genus.
Quem Maria imprægnata sacro de flamine virgo,
Illæsa peperit virgo pudicitia.
Quem vox iniusti damnauit iniqua Pilati,
Et vinctum iussit flagra cruenta pati.
Qui crucis affixus ligno, ius acre subisti
Mortis, & es sterili conditus indè solo.
Ac descendisti manes Acherontis ad imos,
Post triduum Stygijs esq; remersus aquis.
Ascendensq;

Liber tertius.

Ascendensq; poli nitidum super æthera, sedens
Iam patris ad dextram cunctipotentis habes.
Vndè reuersurus, nubis coopertus amictu,
Iudicium cunctis gentibus acre feres.
Iustus eris iudex, super omnes lumine cassos,
Et super hos, viuos quos sua fata tenent.
Te Paraclete simul, solator amice piorum,
Te stabili credo Spiritus alme fide.
Te quoque confiteor, te sancta Ecclesia, cætus
O electe, p; concio sacra gregis.
Per Christumq; graues dimitti credo reatus,
Membraq; in exuias hæc reditura suas.
Nec dubito, quin hic animus cum corpore vitam
Ducent, quæ dempto fine perennis erit.

Oratio Dominica, Matth. VI.

Optime qui summam cæli pater incolis arcem,
Sit sanctum toto nomen in orbe tuum.
Adueniatq; tui diuina potentia regni,
Terra voluntati cedat, vt astra, tuæ.
Quotidianam inopi da sustentacula vitæ,
Ac animæ, legis dulcia verba tuæ.
Infandum nostræ scelus obliuiscere culpæ,
Nulla rei per nos debita fratris erunt.
Nullæ tartarei tentent nos dæmonis artes,
Simus vt à tristi libera turba malo.

H Sacrum

Carminum sacrorum
Sacrum Baptisma,
Marci XVI.

Christus Olympiacæ rediturus in æthera sedis,
Discipulis tali voce locutus ait.
Ite vagi magnum terræ per totius orbem,
Ac Evangelij verba docete mei.
Edoctasq; sacro perfundite flumine gentes,
Idq; per vnius nomina trina Dei.
Qui benè crediderit, sacro baptisate lotus,
Felix æthereas ille tenebit opes.
Sed cui nulla fides, cui mens incredula languet,
Infelix Stygias ille subibit aquas.

Coena Domini,
Matth. XXVI.

Nocte per infidi qua traditus oscula Iudæ
Christus, & à turba captus ouante fuit.
Accepit panem, gratesq; ex more peregit,
Discipulisq; illum dans ita voce refert.
Sumite, vesciminiq; p̄is hoc pane labellis,
Nam cibus est verè corporis ille mei.
Hoc quoties sacro vos manducabitis vsu,
Id necis æterno fiat honore meæ.
His actis, calicem miscens, gratesq; frequentans,
Discipulis illum tradit, aitq; suis.
Hunc

Liber tertius.

Hunc omnes libate, nouæ testamina legis
Constituit crater sanguinis ille mei.
Qui pro multorum fusus, vestraque salute,
Extinguit fluxu crimina cuncta suo.
Hunc igitur quoties sacro libabitis haustus
In laudem memores funeris este mei.

Decem Præcepta.

Non alios venerare Deos, me dilige solum,
Auctor ego rerum, me decet omnis honor.
Illicitos transferre Dei caue nomen ad usus,
Ne diuina tuas hauriat ira domos.
Da requiem domuiq; tuæ, fessisq; ministris,
Et cole solenni sabbata iussa die.
Obsequio reuerere tuos & honore parentes,
Antè diem tristi ne tumuleris humo.
Non hominum quenquam violenta confice dextra,
Sed cædis vacuas semper habeto manus.
Alterius thalamum noli violare iugalem,
Non trahat illicita te leuis arte Venus.
Non alijs turpi fortunas eripe dextra,
Infamemq; caue furis habere notam.
Ambiguæ testis si quando citabere causæ,
Integro veram profer ab ore fidem.
Non ambire velis alieni nominis ædes,
Si magis eximias senseris esse tuas.
Nullius uxorem, famulas, iumenta, ministros,
Nil cupias, alter quod tenet, esse tuum.

H ij Symboz

Carminum Sacrorum

Symbolum Apostolorum.

Esse Deum Patrem super omnia credo potentem,
Astræq; cum terræ constituisse globo.
In te nate Dei credo quoque Christe, redemptor
Vnice, & humani Rexq; caputq; gregis.
Qui placida sancti conceptus flaminis aura,
Verus es ex Maria virgine natus homo.
Qui graue supplicium passus damnante Pilato,
Fixus es in duræ tristia ligna crucis.
Te quoque defunctum credo, clausumq; se pulchro,
Accessisse nigrae sæua barathra Stygis.
Indeq; vitales rediisse potenter ad auras,
Tertius vt læto surgeret ore dies.
Atque volasse poli super aurea sidera, ibiq;
Iam loca supremo dextra tenere patri.
Ex quibus es summo rediturus tempore, vt æquum
Iudicium viuus exanimisq; feras.
In numen quoque credo sacri spirabile flatus,
Tristia qui suauis pectora firmat ope.
Credo sanctorum, qui sunt Ecclesia, cœtus
In Christo veniam labis habere suæ.
Nosq; olim salua rediuiuos carne, futuros
Hæredes regni maxime Christe tui.

Oratio Dominica.

Qui nitida cœli resides sublimis in arce,
Et pater imperio cuncta potente regis.
Nomen

Liber tertius.

Nomen ubique tuum fac sanctificetur, & orbi
Fac Evangelij regna venire tui.

In terris semper fiat tua sancta voluntas,
Aetherea fieri sicut in arce solet.

Quotidie nobis alimenta salubria praebe,
Quae foueant suavi corpora nostra cibo.

Vt sua nos alijs peccata remittimus vltro,
Crimina sic nobis cuncta remitte Pater.

Nec nos tentari permittas arte scelesti
Demonis, à cunctis eripiasq; malis.

Sacramentum Baptismi.

Christus in excelsi scansurus culmina caeli,
Fecit Apostolico verba suprema choro.

Ite, per immensumq; ostendite gentibus orbem
Saluificaturae religionis iter.

Inq; patris, natiq;, & sancti nomine flatus
Sacro conuersas amne lauate tribus.

Si quis crediderit, sacrisq; lauabitur vndis,
Aetheris aeternas incolet ille domos.

Qui non crediderit, signis nil motus a pertis,
Heu miser, infernae praeda paludis erit.

Sacramentum Altaris.

Nox erat, à socio qua tradebatur Iuda,
Vt Christus mortis triste subiret onus.

Hac ille accepit panem, grauiterq; precatus,
Fregit, Apostolico distribuitq; gregi.

H iij Accipite

Carminum Sacrorum

Accipite en, dicens, cupideq; hunc mandite panem,
Nam sub eo verè corporis esca mei est.
Quod iam pro vobis, cunctisq; fidelibus vltro
Traditur in diræ tristia iura necis.
Vos ex more sacro quoties celebrabitis illud,
Et vitæ memores & necis este meæ.
Hinc calicem sumpsit, dulciq; repleuit Iaccho,
Atque patri grates egit, vt antè, Deo.
Discipulisq; suis illum porrexit in orbem,
Et placido tales addidit ore sonos.
Omnes hinc vini gratum gustate liquorem,
Namque mei fœdus sanguinis ille nouum est.
Hic meus est sanguis, qui cuncta vt crimina mundi
Abluat, ex isto corpore fusus abit.
Hoc vos solenni quoties repetetis honore,
Nolite immemores sanguinis esse mei.

Symbolum Apostolicum.

I. Articulus S. Petri.

Vnus ab æterno Deus est, sine fine, sine ortu,
Cuius fulgorem lumina nulla ferunt.
Quem perscrutari nequit vllum mentis acumen,
Quem vis eloquij dicere nulla potest,
Nullaq; contrectare manus, sine corpore Mens est,
Mens bona, Mens sapiens, vnica causa boni.
Est etiam Deus ille Pater, genuitq; coeuum,
Propter & hunc patria nos pietate fouet.
Nos

Liber tertius.

Nos clementer amat, nos auxilioq̄ perenni
Sustinet, & cunctis implet alitq̄ bonis.
Quod vult, ille potest, & si vult, perficit istud:
Nemp̄ facultatem cunctipotentis habet.
Hac terræ molem, patuliq̄ volumina cæli
Condidit, hac vastas littore clausit aquas.
Hac hominem fecit, latæq̄ animantia terræ,
Aëreumq̄ genus, squamigerumq̄ gregem.
Hac ego confiteor sermone, hac pectore credo,
Hæc diui amplector cælica verba Petri.
Quoq̄ Dei Audeus, Cerdonq̄ increbuit hostis,
Portentumq̄ Manes impie damno tuum.

II. Articulus, S. Iacobi Maioris.

Vnus vt æternus pater est, sic filius vnus,
Filius æterni lux & imago patris.
Quem nos, haud alium, q̄ Christum, corde fatemur,
Qui bona saluifici nomina Regis habet.
Vnica qui summi soboles est patris, & illud
Omnia quod Verbum cum patre secla fuit.
Quo sine nil factum est, ingens quod cõtinet orbis,
Quod simul est summo cum genitore Deus.
Quod Maiestatis consors, æquale, coæuum,
Et cum patre bonum, cumq̄ potente potens.
Hunc nostrum Dominum recteq̄ pieq̄ vocamus,
Quos sibi per summas ipse redemit opes.

H iij Quos

Carminum sacrorum

Quos contra horribiles propria virtute sagittas,
Multiplici Satanas quas iacit arte, tegit.
Quos & in hac mundi rabie, tristiq; ruina,
Seruat, & in grata viuere pace sinit.
Cum Maiore decet nos hæc vt ritè Iacobo
Credere, qui sacri pars fuit vna chori.
Sic horrere decet Felicis, & orsa Nouati
Infanda, & furias dire Iouine tuas.
Ipse Dei fili, nec maiestate, nec æuo,
Patre minor, laudes assere Christe tuas.

III. Articulus, S. Iohannis.

Lapsus Adam vetitæ tristem post arboris escam,
In Stygias atra morte ruisset aquas.
Et secum miseros traxisset ad ima ne potes,
Hæc erexisset ni monumenta Deus.
Vt lapsos aliquis releuaret alacriter Heros,
Ex Stygio miseros eriperetq; lacu.
At qui vellet idem facere, & qui posset, in amplo
Aetheris & terræ limite nullus erat.
Vnica quod potuit, voluit præstare potenter,
Aeterni soboles effigiesq; patris.
Filius ergò Dei, veteri promissus ab æuo
Patribus, vt tantum ritè moueret opus.
Aetherea voluit tandem descendere sede,
Inq; hominis forma delituisse Deus.
Virginis

Liber tertius.

Virginis est igitur casta conceptus in aluo,
Hanc ut adimpleret flaminis aura sacri.
Nempè super Mariam cœlestis ut umbra veniret,
Ac illam faceret patre fouente grauem.
Ex qua verus homo reparandum Christus in orbem,
Tu licet oblatres hîc Theodore, satus.
Firmiter hæc tecum profitemur sancte Iohannes,
Nestorij turpes arguimusq; dolos.

III. Articulus, S. Andreae.

Præses Iudææ Pilatus ut esset in oris,
Christus in innocuo corpore multa tulit.
Vincula, & insultus varios, plagasq; cruentas,
Sputaq; cum grauibus, sæuaq; flagra, minis.
Et crucis in fesso portauit tergore lignum,
Ac in idem clauo fixus atroce fuit.
Et confossus ibi plantasq; manusq; pependit,
In patulo dirum pectore vulnus habens.
Vnus ut impleret, malè quod deliquerat vnus,
Ut faceret legi iusticiæq; satis.
Et fractum repararet opus, mortemq; domaret,
Venerat in cuius iura caducus homo.
Ipseq; non alius, suspensus in arbore, nobis
Aethereas propria morte redemit opes.
Nam simul attonitas animam exhalauit in auras
Mortuus, in tumulum est depositusq; nouus.

H 5 Hæc

Carminum sacrorum

Hæc clades nostræ manifesta salutis origo est,
Hæc homini vitam Morsq; cruorq; ferunt.
Has habet Andreas partes, hæc symbola, & illi
Credimus, aduersas reijcimusq; notas.
Quas vel Præxas, vel Saturninus amauit,
Vel tu cum socijs Martio inique tuis.

V. Articulus, S. Philippi.

Morte sua Christus, mortis fera spicula fregit,
Duraq; tartarei contudit arma Lupi.
Cum tot enim plagas, & vulnera spontè tulisset,
Post obitumq; caue traditus esset humo.
Ne rabida porrò morti foret vlla potestas,
Infernam voluit de popolare Stygem.
Ergò potens, victorq; domos descendit ad imas,
Fortiter vt sanctos duceret indè patres.
In lucemq; pios tenebroso carcere manes
Eueheret, Stygias concuteretq; fores.
Et Satana vires, atraq; repagula sedis,
Regnaq; deuictæ solueret ampla necis.
Ast anima illius tristi non mansit in Orco,
Membra nec in molli computruere solo.
Sed Titan roseo cum tertius iret ab ortu,
E tellure potens sustulit ille caput.
Et propria dulces virtute reuersus in auras,
Exhibuit vultus pluribus ora sui.
Impie

Liber tertius.

Impie quid latras Cerinthe, quid impie ludis,
Hæc dum præstigijs debilitare studes?
Nos tua damnamus, tua nos figmenta timemus,
At sequimur vocem sanctæ Philippæ tuam.

VI. Articulus, S. Thomæ

Christus ut in terris mandata parentis obisset,
Passus ad humanæ cuncta salutis opem.
Vastatoq; potens redisset victor Averno,
Calcassetq; feri guttura fracta Canis.
Ad sedem voluit tandem remeare paternam,
Electisq; viam, præq; parare locum.
In quem, ceu patriam, nos ille assumeret olim,
Aeternasq; pijs accumularet opes.
Ergo super cælos magna spectante caterua
Rettulit ille sacros nube vehente pedes.
Adq; Deumq; patremq; suum, nostrumq; relatus,
Possidet imperij sceptrâ corusca sui.
Quis superas etenim conscenderet æquius arces,
Iustius æthereas aut quis haberet opes.
Quam qui patris erat, summi patris, vnicus hæres,
Deq; relucens venerat arce Poli?
Ergo sedet nunc nostra salus, nosterq; Sacerdos,
Ad latus æterni dexter ouansq; patris.
Illaq; regna tenet, quæ nullum finit ævum,
Et quibus æquari gloria nulla potest.
Hæc

Carminum Sacrorum

Hæc nos cum Thoma nec corde nec ore negamus,
Henniadis valeat Carpocratisq; furor.

VII. Articulus, S. Bartholemæi.

Non modò cælestes ascendit Christus in oras,
Et patris ad dextram sceptrâ locumq; tenet.
Sed quoque maiestate pari Deus indè redibit,
Cinctus & inflexæ lumine nubis erit.
Cum feret extremæ prænuncia signa diei
Horribilis summa clangor ab arce datus.
At tunc non hominũ veniet, velut antè, redemptor.
Tunc neque saluantis munus & ora geret.
Quin aderit velut in fragilis super omnia iudex,
Qui facere atque loqui nil nisi iusta queat.
Qui patris immota tueatur lege tribunal,
Iudiciumq; graui cognitione ferat.
Iudicium viuus, vitaq; carentibus æquum,
Suauè bonumq; bonis, triste malumq; malis.
Triticeis paleas à frugibus eximat omnes,
Hircorumq; pias à grege tollat oues.
Aq; probis reprobos seiungat & arceat, isti
Ut pœnas, alij cœlica dona ferant.
Bartholemæe tuæ sunt hæc oracula vocis:
Hæc decet immota nos retinere fide.
Et fugere, effreni quæ dicta Philastrius ore
Protulit, & turpi calliditate Ne pos.
Cum

Liber tertius.
VIII. Articulus
S. Matthæi.

Cum patre, cum nato pariter, spirabile numerus
Ut Deus est vnus, sic ab vtroque venit.
Estq; potestatis consors & honoris & æui,
Cumq; patre & nato secula cuncta fuit.
Quod non fouerit hic, nihil est ab vtroque creatum,
Omnia cum fierent, hic simul autor erat.
Sanctius hoc nihil est: quod sanctū est, p̄dit ab illo,
Hic homines sanctos, & bona sancta facit.
Hic fuit in sanctis patribus, sanctisq; Prophetis,
Ac in Apostolici pectore & ore gregis.
Hic sibi templa facit sacro baptisate lotos,
Hic vacua à tenebris pectora sancta facit.
Hic veri in nobis flammam accendit amoris,
Hic sacra viuifico lumine corda replet.
Hic contra impuros solatia Dæmonas affert,
Firmat, agit, purgat, debile, segne, reum.
Hanc nos Matthæi sancto de flamine normam
Non dubia sequimur, suscipimusq; fide.
Arius & quamuis, vecorsq; Sabellius obstent,
Illius elogium credimus esse ritum.
Spiritus alme sacris hominum præcordia donis
Instrue, fomentis erige, luce foue.
Ille

Carminum sacrorum
IX. Articulus
S. Iacobi Minoris.

Ille, Dei non esse potest Ecclesia, cœtus,
Abijcit infida qui sacra scripta manu.
Namque per hæc, & non aliter, sibi colligit illam,
Sèque per hæc præbet, notificatque Deus.
Ergo sacri populus retinens oracula verbi,
Et meditans legem nocte dièque Dei.
Et pietatis amans, rectèque salubribus utens
Ritibus, & reuerens pectore & ore Deum.
Hic est in fragili constans Ecclesia mundo,
Nomen hic electæ iurè cohortis habet.
Talis erat, tunc ut mundi iam machina staret,
Donec & hæc steterit machina, talis erit.
Sit licet exilis, tamen est Ecclesia, cœtus,
Vlla nec hanc extra est vita, nec vlla salus.
Hæc Iacobe Minor tecum sentimus, & vnâ
Tam sacri cupimus membra vigere gregis.
Ac omnes fugimus constanti pectore sectas,
Turpiter ex illo qui retulere pedem.
Et sibi collegere malis erroribus agmen,
Ex quo Mors animæ perniciësque venit.
Christe p̄ fulcrum cœtus immobile, Sponsam
Protege, custodi, duc, moderare tuam.
Sunt

Liber tertius.
X. Articulus
S. Simonis.

*Sunt lapsus hominum varij, sunt crimina, bellum
Quæ cum lege Dei, iusticiâque gerunt.
Nos igitur meritos horum stipendia, iustè
A facie iratus pelleret ille sua.
Peccatique reos tristi multaret Auerno,
Et Stygiæ faceret turpia vasa necis.
Hoc nisi fecisset patri placabile Christus
Et crucis & precio sanguinis ipse sui.
Hoc igitur meritum quicumque fideliter haurit,
Dèque sua, toto pectore, labe dolet.
Et cupit in melius docilem conuertere vitam,
Hic sibi dimitti debita cuncta sciat.
Et fieri hoc toties, quoties declinat ab illis,
Sèque pia in Christum surrigit ipse fide:
Et licet à sacro peccet baptismatis usu,
Istius veniam, si resipiscit, habet.
In se Christus enim mundi peccata recepit,
Vt benè pro mundo tam graue ferret onus.
Vt, licet informi fluerent ea lurida tabo,
Instar hyperboræ redderet alba niuis.
Hæc ita diue Simon tecum pia turba fatetur,
Cùmque sua Catbaros improbitate fugit.
Hæc*

Carminum sacrorum
XI. Articulus
S. Iudæ Thaddæi.

Hæc caro, quã gerimus, cutis hæc, qua mēbra teguntur,
In caua defuncto corpore busta cadent.
Acibi seu cupidis præbebunt vermibus escam,
Siue iterum terræ portio vilis erunt.
At non in tumulis æterna nocte latebunt,
Vt caro brutorum non reditura iacet.
Quin velut ex terra Christum reuocauit in auras,
Euexitq; potens in sua regna Deus.
Non secus è tumulis nos, Christi membra, reducet,
Inq; sua integris artubus astra vehet.
Quod nisi spes nobis hæc sit manifesta, quid vsquam
Quid genere humano tristius esse queat?
Hoc igitur nulla diuersum parte resurget,
Et cute splendidius sospite corpus erit.
Sed quis, vt hæc fieri possint, scrutabitur ex se,
Qui fidei nolit cœlica dona sequi?
Iste licet tota cerebro rimetur, vt orbem,
Lucidaq; ex nihilo fecerit astra Deus.
At nos Hermogenem fugimus, sectasq; Phileti,
Et Saduceorum dira venena Scholæ.
Quæq; fides est Thaddæi, cui nomen Iudas,
Est quoque de reduci corpore nostra fides.
Non

Liber tertius.

XII. Articulus,
S. Matthiæ.

Non Deus ex tumultis homines educet in auras,
Et veteri ipsorum vestiet ossa cute,
Mortis ut in casses iterum labantur avaros,
Feraliq; iterum funera dentur humo.
Sed magis ut vitam ducant sine fine perennem,
In qua secula decem sunt velut vna dies.
In qua pro grauib; succedent gaudia curis,
Et lux pro tenebris, proq; labore quies.
Proq; fame, siccaq; siti, pulcherrima rerum
Copia, quas cæli regia diues habet.
Sanctus ut hæc stabili Matthias ore probauit,
Sic & in his firma nos decet esse fide.
Ni te Sus Epicure sequi malimus, & vnâ
Cum socijs tristi morte perire tuis.
At tu perpetuæ Christo dator auspice lucis,
Omnia qui vitæ iuraq; mortis habes.
Ad decus æternæ fac nos exurgere vitæ,
Nos Stygiæ immunes fac necis esse Deus.

Ad Deum Patrem.

Cum tener in latebris maternæ clauderer aluo,
Et tenebris nullo septus honore forem.
Si Deus obstetricis agens tunc vtile munus,
Pandisti digitis claustra soluta tuis.

Carminum sacrorum

Liber ut è vinclis irem, pulsusq; tenebris
Aspicerem nitidi signa diemq; poli.
Si quoque post fido nutricis munere functus,
Pauisti infantem conueniente cibo.
Lac ut in vberibus genitricis dulce parares,
Quod mihi nascenti grata alimenta daret.
Credo quod ipse tuæ fulgens ad imaginis instar,
Sanguineo nati lotus & amne tui.
Eluctaturus sim te custode periclis,
Me quibus hæc magno vita labore premit.
Ac Duce te superas alacer rediturus in auras,
Hæc caro de putri quando resurget humo.

Ex Hiobe.

Me licet alme Deus crudeli morte trucas,
Ac videre meas non reputare preces.
In te fixa tamen mea spes & vota manebunt,
Tuq; meus tandem saluificator eris.

Ad orandum præmeditatio.

Mi pater ingentis qui fulcis pondera mundi,
Mi Deus excelsi qui regis astra poli.
Aspicias immensi scelerum me crimine fontem,
Indignumq; tuos antè iacere pedes.
Me peccatorum cernis sub mole gementem,
Ad te non digna posse venire prece.
At quia non tantum te præcepisse docemur,
Ut fidente tuam corde rogemus opem.

Sed

Liber tertius.

Sed quoque promissum, te nolle repellere nostras,
Quas tibi sollicito fundimus ore, preces.
En parere tuis mandatis ipse paratus
Pollicitis toto pectore credo tuis
In natiq; tui, Dominiq; in nomine nostri,
Te firma solida mentis adoro fide.
Cum cunctis alacri pietate fidelibus oro,
Et confido meæ vota valere precis.
Cuius verba meus docuit numerosq; redemptor,
Te vigili mandans semper adire prece.

Ante mensam.

Omnia qui nutu seruasq; fouesq; potente,
Quæ tua in humanam dextra creauit opem.
His epulis cupida benedicas voce precamur,
Quas famulis larga das bonitate tuis.
Debilibus membris bona nutrimenta ministrent,
Ut recta possint prosperitate frui.
Utq; tremenda tuæ celebrentur nomina laudis,
Proximus & nostra ritè iuuetur ope.

Post mensam.

Nostra quod vtilibus recreasti corpora donis,
Sit tibi cælestis gratia summa pater.
Quodq; bonis prima nos à lanugine tantis
Afficis, ob nati flagra crucemq; tui.
Effice ne nostro labatur pectore, summa
Iuueris humanas quod pietate vices.
Pasce salutari mentem Deus optime verbo,
Ut repetat summo cælica templa die.

I ij Precas

Carminum sacrorum

Precatiuncula matutina.

*Quod mihi non huius tenebrosa pericula noctis
Obfuerint, tibi sit gratia summe Deus.
Ut porrò curet tua me clementia quæso,
Nec sinat in turpes vt trahar ipse vias.
Ancipitiq; meum te gat à discrimine corpus,
A sæuoq; animam vindicet hoste meam.
Vtq; alijs opera prosim, te pectore laudem,
Aspira studijs conditor alte meis.*

Precatiuncula nocturna.

*Hac quod nulla mihi nocuere pericula luce,
Gratia sit curæ maxime Christe tuæ.
Et quia nunc soliti functus sum iure laboris,
Horæq; nocturnæ blanda quietis adest.
Indulgere velis placidæ mihi tempora noctis,
Et vires membris restituisse meis.
Ut seruire alijs iusto cras munere possim,
Et celebri nomen laude sonare tuum.*

Pro Magistratu.

*Summe Deus, magnum qui nutu concutis orbem,
Atque æterna manu sceptrâ potente geris.
Corda Magistratus placido rege numine, cuius
Turba sub imperio nos sociata sumus.
Illi iudicium, vires, sapientia, robur,
Ætherea solij dentur ab arce tui.*

Vt

Liber tertius.

Vt sibi commisso possit benè munere fungī,
Et facere officij debita iura sui.
Edoctusq; tuo non impia numine mandet,
Sed trahat exemplis vulgus alacre bonis.
Querere præcipiti priuata cupidine nolit,
Sed quæcunque tui nominis vrget honos.
Et quorum status omnis eget, quæ publicus vsus
Exigit, & populi totius æqua salus.
Vt sic iusticiæ fallax iniuria cedat,
Expectentq; bonos præmia, pœna malos.
Nosq; in ciuili viuentes pace, queamus
Laudibus innocua mente vacare tuis.

Pro Subditis.

Optime, qui pulchro fulgentes ordine stellas
Diuidis, & toto quicquid in orbe, Deus.
Quæsumus vt moueas subiecti pectora cœtus,
Aduersum leges ne violenter eat.
Iussa Magistratus facili pietate capeffat,
Qui gerit vltrici sceptrâ verenda manu.
Pareat illius mandanti haud impia voci,
Nominis in laudem noticiamq; tui.
Vt placidos eadem mens & concordia ciues,
Absque intestina seditione ligent.
Et pax inter eos fraternum suavis amorem,
Christicolasq; decens & pia vita probet.

I ij Pro

Carminum sacrorum
Pro patribusfamilias.

*Qui licite Deus acta probas ciuilia vite,
Quique coli recta vis pietate patres.
Hos firma, quibus incumbit priuata regendæ
Sedis, & augendæ sollicitudo rei.
Fac ut prudenter sobolē, famulosque gubernent,
Et vigili totas sobrietate domos.
A quibus impietas leuiumq; infamia morum,
Et vitium pulsus exulet omne dolis.
Nulla minis tractent, dirisq; negocia verbis,
Sed virtute suos & pietate trahant.
Laus ut vbique tui sonet ac celebretur honoris,
Ac agat officium functio quæque suum.*

Pro Ludimagistris.

*O Deus, illorum conamina viribus auge,
In quorum curas parua iuuenta datur.
Ut duros animo tolerant patiente labores,
Insomnique suum pectore munus agant.
Moribus ut ducant, disciplinæque gubernent,
Exemplisq; regant corda nouella bonis.
A te thesaurus sibi quam sit traditus ingens,
Ac operæ pendant munera celsa suæ.
Ne rudis in tenero perdatur flore iuuentus,
Dum gerit à vitijs pectus inerme malis.
Sed benè præceptis sic instituatur honestis,
Ut studijs mores conuenienter eant.*

Vt

Liber tertius.

*Vt tua laus omni quærat in ordine, resq;
Publica non rudibus pareat vsque viris.*

Puerorum pro semetipsis.

*Summe parens, æterne Deus, Rex optime, nobis
Munera largitor flaminis alma tui.*

*Illius vt motu nos efficiamur adulti
In vera nati cognitione tui.*

*Vtq; inflammemur pietatis amore, bonoq;
Impete discamus nil nisi honesta sequi.*

*Ac vt discendi mens nostra cupidine ducta
Artibus incumbat lege decente bonis.*

*Per quas sancta tuæ celebretur gloria laudis,
Et benè vicini commoda fratris eant.*

Eorundem ad Christum.

*Pectore qui molles fouisti Christe puellos,
Aspice totius vota tenella Scholæ.*

*Inserere pectoribus virtutum semina nostris,
Vt pariant mores suauiter illa bonos.*

*Imbibere vt pulchras possint feliciter artes,
Et iustas nostri ferre laboris opes.*

*Ne præceptores fac irritemus ad iram
Moribus obscænis barbariæque rudi.*

*Illis non temerè præsentia nostra rebellet,
Sed colat obsequijs & reuerenter amet.*

*Fac omnem studijs operam nauemus honestis,
Simus & ingenijs & probitate pares.*

I iiij Ad

Carminum sacrorum

*Ad nostriq̄, pium crescamus fratris amorem,
Nominis in vera cognitione tui.*

Pro ministerio Angelorum.

*Omnipotens fragili Deus hoc in corpore cernis
Conditio cætus quam sit egena tui.*

*Scis quoque quot Satanæ in nos exasperet hostes,
Ipseq̄, quàm nobis seua pericla struat.*

*Quæsumus ergò Duces turbæ comitesq̄, fidelis
Angelici iungas ex legione chori.*

*Qui nos horribili Satanæ tueantur ab astu,
Et lacerent nostro retia tensa pedi.*

*Elidant odium qui formidabile mundi,
Ac desiderium carnis inane doment.*

*Quiq̄, serant pacem, rabiosaq̄, iurgia sedent,
Quiq̄, sacræ legis iura recepta tegant.*

*Qui pellant morbos, reprimantq̄, Tyrannidis iras,
Et foueant alis templa scholasq̄, suis.*

*Christiadasq̄, regant, fallax ne deleat hostis
In nostris tacita mentibus arte fidem.*

*Hos da custodes, & fac ne turpibus illos
Moribus à famula reijciamus ope.*

Pro fide, spe & charitate.

*Sancte Deus, qui cuncta foues, accende precamur
In Christum stabili pectora nostra fide.*

*Vtq̄, tua casus bonitate leuemur in omnes,
Da spem, perpetuas qua sitiamus ope.*

Ac

Liber tertius.

Ac ut te, cunctosq; pia ratione colamus,
Fac animus vero noster amore flagret.
Ut sic in nobis fructus exuscitet amplos,
Plenus amor, stabilis spes, & adulta fides.

Ad Christum.

Qui patris es verbum, quod misit ad agmina sancti
Nominis, in nostro corde potenter ades.
Viuiscoq; pios illustra lumine cætus,
Almaq; iusticiæ munera pande tuæ.
Vitis es alma, probos tibi fac nos esse racemos,
Ac inserta tibi pectora nostra fove.
Ne, velut exustus crudeli surculus Austro,
Deficiant Stygij vi labefacta Noti.

Contra Turcam.

O Pater omnipotens, ô mundi Christe redemptor,
O afflictorum, Spiritus alme, quies.
Cernis summe Deus, quanto fera turbine nostris
Arma pharetratus Turca minetur agris.
Et quàm terribili tua membra tyrannide maçtet,
Quodq; sua in nostro tela cruore linat.
Scis quoque cur tanto sæui molimine belli,
Aruaq; cur tanto nostra furore petat.
Ut confessa tuum discerpat pectora verbum,
Extinguatq; piam turba prophana fidem.
Ut nos, Christe tuo de nomine nomen habentes,
Conficiat, laudes attenuetq; tuas.

I 5 Vtq;

Carminum sacrorum

Vtq̄ nefanda sui Mahomedis regna propaget
Contra Euangelij sancta statuta tui.
Quò Deus vsque tuæ tardabunt robora dextræ?
Despicias nostras quò Deus vsque preces?
Si peccata velis nostri perpendere lapsus,
Spes expectatæ nulla salutis erit.
Aspice membra tui, traiecta q̄ pectora nati,
Mens q̄ suæ compos nostra salutis erit.
Ob nostros iusto quam colligis igne reatus,
Illa sit ob Christi lenior ira crucem.
Te miseris dedit ille patrem mortalibus, audi,
Audi natorum tristia vota pater.
Rector adoptatæ sis & custodia prolis,
Hæredum curam mente parentis age.
Funditus istorum fraudes euerte cruentas,
Arma tuos contra qui violenta mouent.
Istorum confunde dolos, conatibus obsta,
Qui rabidis audent te lacerare minis.
His ostende trucis quid vana superbia dextræ,
Quid celeri pernix robore prosit Eques.
Quid q̄ infinitæ diffusa potentia turbæ,
Quid rigidis telis plena pharetra queat.
Opprime blasphemi vires & brachia Turcæ,
Qui furit & terris & violentus aquis.
Istius insidias, & acerbos sterne furores,
Te, patrem Christi, qui negat esse Deum.
Omnia funestis qui terret & occupat armis,
Corpora qui leuibus sancta cruentat equis.

Tu

Liber tertius.

Tu nos, in cuius committimus omnia dextram,
Cladibus è tantis eripe, soluc, leua.
Dux rapidi magno sis in discrimine Martis,
Proq̄ tuis forti digladiare manu.
Præda cruentato ne fiant flebilis hosti,
Et miseri collo vincula nexa gerant.
Ne sint per vanas infamis fabula gentes
Teq̄ laceffendi turpibus ansa Getis.
Enerua vires & sceptrâ potentia Turcæ,
Qui laniat cætus persequiturq̄ tuos.
Fortiter istius rabiem compesce, minasq̄
Et da militibus fortia corda pijs.
Qui gladiosq̄ tuo clypeosq̄ in nomine portant,
Armaq̄ pro patrij dura salute soli.
Tu dulci recreare Deus solamine tristes,
Tu vinclis captos eripuisse velis.
Tu Deus es Dominusq̄, precum miserere: creator
Es, defende tua sancta creata manu.
Tu caput es, tua mēbra iuua: tu Christe redēptor
Es, bona purpureo parta cruore tege.
Tu dator es pacis, placidi tu temporis autor,
Fac in perpetua pace manere tuos.
Pectore vt vnanimis, concordis voce canamus
Te verum in trina simplicitate Deum.

Contra famem.

Large Deus, spissas qui cogis in aëre nubes,
Et facis has pluuijs imbribus esse graues.
Qui

Carminum sacrorum

Qui tempestatum pulsus feruoribus, orbem
Illustras, rutilis sole micante genis.
Temperiem cœli, felices aëris auras,
Aspira grauidis alme creator agris.
Ne rigidis exurat hyems hos sæua pruinis,
Nec rapido feruens hauriat igne Canis.
Molliane tristi sata debilitentur ab imbre,
Obrutaq; effusis ne violentur aquis.
Fac letas pingui segetes coalescere gleba,
Dans tempestiuam Solis & imbris opem.
Ne vel fomentis, vel aqua recreante carentes
In deploratis emoriantur agris.
Et sic agricolæ sint spes & sudor inanes,
Atque fames sterilem dira sequatur humum.
Nec capiat nostrum sua sustentacula corpus,
Damnaq; ieiuno noxia ventre trahat.
Nosq; graui cura famis impediamur acerba,
Ut gens in laudes simus inepta tuas.
Hoc auerte Deus: placido Deus annue vultu,
Et parient fructus arua beata suos.
Redde salutare humanis artubus escas,
Ut rebus possint incubuisse suis.
Officijsq; pares nos simus robore nostris,
Atque tuæ grates semper agamus opi.

Contra pestem.

Vnica Christe tui soboles & imago parentis,
Cui meritis placas crimina nostra tuis.
Aspice

Liber tertius.

Aspice clementi tristes pietate querelas,
Te quibus ardenti voce precamur opem.
Pelle venenatae contagia noxia pestis,
Et purum nostris aëra redde plagis.
Esto potens nostri medicina salusq; doloris,
Et sana facili pectora laesa manu.
Quosq; redemerunt tua crux, Mors, vulnera, sanguis,
Non sine tam saeva morte perire luis.
Ex tam letiferi squaloribus eripe morbi,
Morte tua, in sancta membra redempta cruce.
Ne dispergatur trepidis Ecclesia curis,
Sitq; repentina mæsta rapina neci.
Sic tua gratanti præconia carmine tollat,
Solum te resonans esse salutis iter.
Et canat: Incolumem seruat me gratia Christi,
Telaq; funestæ frangit acerba necis.

Pro schola Culmensi.

Te, sine quo cura quæuis meditamur inani,
Te Deus intensa quæsumus alme prece.
Ut tuus infragili confirmet glutine nutus
Vincla renascentis languidiora scholæ.
Detq; incrementum miseræ, viresq; labanti,
Ut tandem veteri floreat illa statu.
Tu pia Culmani conamina Præsulis vrge,
Ut curam patria mente precantis agat.
Heroasq; suum qui promiserunt fauorem,
Ac operam, dicti fac meminisse sui.
Hoc

Carminum sacrorum

Hoc opus ut vero studiorum ardore flagrantes
Auxilijsq; iuuent promoueantq; suis.
Culmaniq; suam ciues, alacerq; Senatus,
Consilio foueant & bonitate Scholam.
Ut tandem pulchras pia cura resuscitet artes,
Et studia his vigeant utiliora locis.
Ut celebres digno reuocentur honore Camæna,
Exilij quas iam fata sinistra premunt.
Ut rudis, & studijs & prædita moribus, ætas
Crescat ad insignes in pietate viros.

Pro Concilio Tridentino,

I 5 5 I.

Vera Dei soboles, nostræ spes vna salutis,
Decipiente nihil qui potes ore loqui.
Quiq; tuam solido doctrinam robore firmas,
Et loqueris vera talia verba fide.
Si quos cura mei sincera vocabit in vnum
Nominis, ipse duos tertius inter ero.
Auspice concilium fiat te Christe Tridenti,
In verbo Synodus confluat ista tuo.
Tu rege diuino coituros numine cætus,
Illorum mentes flamine coge tuo.
Ut modò vera tui quærat gloria patris,
Et gregis æqua salus vtilitasq; tui.
Hec spectent, non personas, rerumue suarum
Incrementa, sui diuitiasue status.
Insuper huic, alijs quæ præsidet, æqua coronæ
Flaminis instinctu pectora redde tui.

Nil

Liber tertius.

Nil odio alterius statuat vel partis amore,
Sed pariter causas huius & huius agat.
Et sine personæ respectu vera fateri
Quemlibet, a motis viq; doloq; sinat.
Nomine quiq; tuo non, Christe, verentur abuti,
Roboris euersos perde furore tui.
Et contra Satanae fraudes, portasq; Acherontis,
Hos tege, qui vero iusticiaeq; fauent.
Ut certi q; pijsq; aliquid statuatur, & illud
Conueniat verbo Christe benigne tuo.
Lumine nec tantum nos ingrediamur aperto
Innocuum veræ religionis iter.
Sed quoque sollicita pietate inuemus, ut intret
Venturae soboles posteritatis idem.
Ut tua sic vno consensu Ecclesia crescat,
Orneturq; suo nomen honore tuum.

In crucē Aurei Portugallici.

Portugallenses cælant incude monetam,
Aurea quæ fuluo monstrat in orbe crucem.
Hanc lacero Christus portauit corpore, spinis
Saucius, & plaga membra caputq; graui.
Christus in hac clauis palmasq; pedesq; peractus,
Pectore traiectum vulnus hiante tulit.
Quo nos, quo Christus pereuntia sæcla redemit,
Sanguis permixta, de cruce fluxit, aqua.
Autor in hac vitæ flexa ceruice pe pendit
Mortuus, ut diræ frangeret arma necis.

Si

Liber tertius.

Si rabies igitur te sortis iniqua fatigat,
Rebus erit, Christi crux, medicina tuis.
Si malè commissi te pungit criminis error,
Criminibus, Domini crux, erit ara tuis.
Liberat à seuis miseros cruciatibus artus,
Aegrâq; præsentì corda quiete leuat.
Exulibus patriam, profugis largitur Asylon,
Perpetuæ monstrat dulce salutis iter.
Exonerat turpi præconia tristia labe,
Abstergit maculas, expiat omne scelus.
Peccati sordes abolet, Satanæq; furorem
Frenat, & infernæ tartara vincit aquæ.
Horrificæ frangit tormenta minacia mortis,
Quicquid & aduersum nos gerit arma, domat.
In fuluis igitur benè Portugallia numis
Hæc facit auratam ~~verba~~ fouere crucem,
Hoc signo vinctes: Erit hinc victoria, pendet
Si tua de Christi, spesq; fidesq; cruce.

In eandem.

Non tam culpa nocens, damnū tam flebile nō est,
Tam neque cura grauis, tam neque grāde scelus.
Noxia tam non est clades, tam morbida pestis,
Passio quam Christi non superare queat.
Cruz Christi, Satanam, mortem, peccata, reatus,
Inferni portas, & mala cuncta premit.
Hinc benè. In hoc signo vinctes: hic aureus inquit,
Letari in Christi nos decet ergò cruce.

Ad

Liber tertius.

Ad imaginem Christi.

Hæc passi quicumque vides insignia Christi,
Flexibiles ferulas, pendula flagra, crucem.
In manibus rigidi vestigia liuida ferri,
Quæq; caput tristi cariceserta premunt.
Esto memor scelerisq; tui, culpæq; sequacis,
Quæ propter Satanae præda futurus eras.
Ni fieri voluisset homo, carnemq; caducam
Induere, atque vicem Christus obire tuam.
Hinc nisi & inde trahi vincetus, sannisq; notari,
Ni roseis colaphos, sputaque, ferre genis.
Ni spinis pungi, ni saucius esse flagellis,
Ni toto plagas corpore ferre graues.
Ni portare trabem, peragique manusq; pedesq;
Denique ni mortem nudus adire crucis.
Ut ruptis Satanae vinculis te solueret, à quo
Hei in seruitium flebile raptus eras.
Utq; reconcilians patrem, te redderet astris,
Ex quibus ingenti crimine lapsus eras.
Huic igitur toto grates age pectore, quo nunc
Auspice, ab Inferno liber, ad Astra redis.

Ad eandem ex Augustino.

Inspice pendentis super arbore vulnera Christi,
Inspice sanguineas emorientis aquas.
Contemplare animo precium redimentis, & alta
Mente cicatrices, quas rediuiuus habet.

K Ecce

Carminum sacrorum

Eccè caput placidis inclinat ad oscula labris:
Ut complectatur, distrahit eccè manus.
Cor patet, ut pateat, nostri quo flagret amore:
Ut redimat, toto corpore cæsus obit.
Hæc per pēde, tuis hæc sensibus imprime, cordi
Sic infigatur totus ut ille tuo,
Ceu totus pro te fuit in cruce fixus acerba,
Nēpè caput, palmas, pectus, utrūque pedē.
Ut sic inq̄ tuo requiescat pectore totus,
Totus marmorea ceu requieuit humo.

Quare Dux & pastor Ec- clesiæ sit Deus & homo.

Christe Deus cur factus homo? cur natus in orbē?
Num potuit tales alter obire vices?
Nemo quidem: Satanæ quia robur opusq̄ furētis,
Ac Necis horrendæ vis superanda fuit.
Et purganda lues, cuius nos patris Adami
Fecerat infecto semine culpa reos.
Ac reddenda recens æternæ vita salutis,
Proq̄ malo series restituenda boni.
Ast hæc nemo quidem potuit præstare decenter,
Ni virtute foret præditus ille Dei.
Cui fas antè sacrum suffragia ferre tribunal,
Summi consilijs inter & esse Dei.
In quo vis maior Satanæq̄ Necisq̄ furore,
In quo non species criminis vlla foret.
Qui

Liber tertius.

Qui ius ex sese vitæ cœlestis haberet,
Amiffasq; boni reddere posset opes.
Omnibus inq; locis semper coramq; tueri,
Quas hominū ferrent pectora & ora preces.
A falsisq; probè veras discernere, vt illas
Deserat, hasq; suum pondus habere sinat.
Christe Deus, toto canimus tibi pectore grates,
Indueris nostræ quod tibi carnis onus.
Tu nisi factus homo, nisi victima sacra fuisses,
Decreti q; patris nuncius ipse tui.
Tu nisi placasses precio æquivalente furorem,
Quo tuus vrgebat crimina nostra Pater.
Tu nisi saluator factus, mundi q; redemptor
Totius: heu frustra conditus esset homo.
Heu penitus perijisset homo, tam nobile germen,
In quo factoris lucet imago Dei.
Ergò quod humanū genus est ex morte superstes,
Christe Dei fili munus opusq; tuum est.

Discrimen Legis & Euangelij.

Inter arenosos tractus, spinisq; rigentes,
Ac virides herbis mollibus inter agros:
Inter & vndarum cisternas dote carentes,
Ac dulces largis fontibus inter aquas:
Quantum discrimen: tantū quoque legis amaror,
Ac Euangelij gratia dulcis habet.

K ij Iste

Carminum sacrorum

Iste licet sicco suaues è pumice lymphas,
E flammâque cibos impatiente petat.
Qui volet exhausti solatia quærere cordis,
Et veri ex rigida lege doloris opem.
Ast Evangelium pauide medicamina mentis,
Et sacra tranquilla munera pacis habet.

De sacra scriptura.

Quæ fieri, quæ scire Deus, quæ credere iussit,
Commemorant certa Biblia sacra fide.
Hic clarè exprimitur, quæ sit diuina voluntas,
Quid Deus incertum, quid velit esse ratum.
Non extra illorum metas nos ergò vagari,
Sive quid in sacris constituisse decet.
Non decet in tantis aliud decernere rebus,
Quàm quod diuinæ pagina legis habet.
Lapsus ab angelica descendat sede minister,
Ac aliud monstret religionis iter.
Quàm pia saluantis signant vestigia Christi,
Istius explosum reijciatur opus.
Ne, dū quæ nō sunt opus, aut nō certa velimus
Quærere, cælesti destituamur ope.
Ac dimittamus genuini lumina sensus,
Sectantes dubiæ cognitionis iter.
Ceum nihil Aesopi canis, vmbra illusa sequaci,
In medijs posita carne recepit aquis.
De

Liber tertius.

De S. Petro.

*Retibus est solitus Galilæo in littore pisces
Ducere, Bethsaida natus in vrbe Simon.
Qui tunc est Petri primum cognomen adeptus,
Ut iam Christe tuus factus alumnus erat.
Hic est voce fidèque simul confessus aperta,
Quod Petra sit viui filius illa Dei.
In qua ceu stabili fundata Ecclesia rupe,
Nil Satanae aut mundi comparis arma timet.
Hic simul Amramiden, vatemq; audiuit Eliam
Dulcibus ad Christum verba referre sonis.
Ad quem per liquidas auido pede transijt vndas,
Cum quo constituit fata suprema pati.
Fortibus hoc equidem verbis iactabat abundè,
Sortis at ambiguae tempore, nullus erat.
Post tamen aetherei firmatus numinis aura
Esset vt à Christo pascere iussus oues.
Nò modò multiplices Christi benefacta per oras
Extulit, innumeris distribuitq; viris.
Sed quoque defunctos dulces reuocauit in auras,
Membráque splendori reddidit agra suo.
Hunc Euangelium signantem sanguine vidit
Sub rigido affixum Roma Nerone cruci.*

De S. Andrea.

*Bethsaidæ satus Andreas, fraterq; Simonis,
Qui meruit Petri nomen habere, fuit.*

K ij Princis

Carminum Sacrorum

Principioq̄ suis Baptista rebus adhæsit,
Illius addicta mente secutus iter.
At digitis Christū monstrante Iohanne duobus,
Et grauiter tales adijciente sonos.
Eccè Dei, delicta hominum qui sustinet, Agnus,
Quiq̄ humana graui crimina morte luet.
Deserit Andreas illum, Christoq̄ repentè
Iungitur, huic fratrem consociatq̄ suum.
Ac Euangelij est industrius indè Minister
Factus, & in Scythica tradidit illud humo.
Atque p̄ Aemathia simul, atque p̄ oppida Põti,
Erudit dociles in pietate viros.
Quaq̄ videt fontes feralis Achaia Patras,
Fortiter ob Christum mortuus ille fuit.
Nam per tres rigida suspensus in arbore lucas,
Hæc tormenta animo viuus ouante tulit.
Signaq̄ proluxi non edidit vlla doloris,
Sed per eos docuit te quoque Christe dies.

De S. Iacobo Maiore.

Vna fuit Salome fabri Germana Iosephi,
Quem populus Christi credidit esse patrem.
Ex illa satus est Zebedæo patre Iacobus,
Quem sacra Maiorem lingua vocare solet.
Hic vt Apostolici factus pars agminis esset,
Impiger huc illuc cœlica verba tulit.
Haudq̄ Palestinis modò propagauit in oris,
Quas homini Christus promeruisset opes.
Sed

Liber tertius.

Sed quoque ad occidui gentes penetrauit Iberi,
Hesperioque piam sparsit in orbe fidem.
Et studio ad Christum terras conuertit & vrbes,
Fulget vbi auriferi diues arena Tagi.
Herodis tandem rigido percussus ab ense,
Auctor vt infandæ seditionis, obit.
At Solymæa suo prætoriam sanguine spargens,
Truncus ad Hispanos indè refertur agros.
Et Compostelle, fiunt vbi festa quotannis
Reliquijs, sacra contumulatur humo.

De S. Iohanne Euangelista.

Ex Salome natus Zebedæo patre Iohannes
Squamigerum lino cepit & ære genus.
Hunc est præ reliquis magno complexus amore,
Rebus & adiunxit Christus vbique suis.
Hunc ad colloquium montis mirabile duxit,
Hunc voluit iusto Pascha parare die.
Huncq; sinu fouit supremæ tempore cænæ,
Adq; sui horrendum duxit agonis opus.
Hunc Mariæ curâ quoque iussit habere parētis,
Fatus ab excelsa, saucius ora, cruce.
Post Ephesi exposuit Christi benefacta Iohānes,
Exilio Pathmon nobilitatq; suo.
Et cum Cerintho pro Christi pugnat honore,
Illud & hunc Verbum fortiter esse probat.
Omnia sunt cuius virtute creata potente,
Hoc Verbum proprijs viribus esse Deum.

K iij Secula

Carminum sacrorum

Saecula qui fuerit consors ante omnia patri,
Parq; patri nullo desinat esse die.
Denique vixisset lustra vt tersena Iohannes,
Solut obit sicca morte, Ephesiq; iacet.

De S. Philippo.

Est quoque Bethsaida pgnatus in vrbe Philippus,
Quam Galilaea suo gurgite stagna rigant.
Hic est, cui Christus cupienti cernere patrem,
Qui me cernit, ait, cernit & ille patrem.
Factus Apostolici pars non in gloria cætus,
Nobile sanguinea morte probauit opus.
Cum siquidem Scythicas docuisset alacriter vrbes
De cruce, de que tuis optime Christe bonis.
Ac Asia tandem peragraret regna Minoris,
Incidit in vani vincula dura gregis.
Cui satis haud visum est, illū suspendere ligno,
Adderet ad miseram ni quoque saxa crucē.
Sic cum bisdenos hinc indè fideliter annos
Propagasset opes maxime Christe tuas.
In trabe suspensus, lapidū quoque verbera cōstans,
Inq; fide, inq; tui cognitione, tulit.

De S. Bartholemæo.

Dicitur in Syria regali sanguine natus
Iusticiæ Christi Bartholemæus amans.
Cuius apud faciles foret vt post nuncius Indos,
Non nisi de Christo nuncia vera tulit.

Cur

Liber tertius.

Cur nasci voluisset homo, cædique patique,
Et fieri in tristi victima sacra cruce.
Quæ diuina etiam cum per miracula probaret,
Traxit ad integram regia corda fidem.
Regis enim natæ dubio languore iacenti
Attulerat gratam Bartholemæus opem.
At Idolorum fatuas vt frangeret aras,
Regis ab impuro fratre peremptus, obit.
Huius in Armenia iacet vrbs Albana furoris
Conscia, vbi primū traditus ille cruci est.
Indèque detracta cute despoliatus, in alto
Fassus equo Christū sed tamen ipse fuit.
Abstulit huic igitur caput à ceruice tyrannus:
Quis triplici hunc fato non cecidisse putet?

De S. Thoma.

Inter Apostolicum Thomas non vltimus agmē,
Pagina quem Didymi nomine sacra notat.
Hic ad Olympiacū quæ sit via recta parentem
Anxius à Christo dum rogat, ille refert.
Ipse ego sum via, sum verum, sum vita, meūq;
Ad patrem, ni sim Dux ego, nemo venit.
Hic Christum tandem Dominūq; Deūq; salutat,
Credit eumq; nigra vim superasse necis.
E terraque tulisse caput, vestigia postquam
Cuspide in Christi pectore aperta videt.
Liuidaque in manibus plantisq; foramina magni
Vulneris, & digitos ponit in illa suos.

K 5 Sed

Carminum Sacrorum

Sed post finitimis celebres cum gentibus Indos
Impauida Christum voce fideq; docet.
Cumq; ibi multiplices Idoli ingentis abusus
Destrueret, turpes argueretq; dolos.
Perfida transfixit resolutum lancea pectus
Illius, à Mystæ fortiter acta manu.

De S. Matthæo.

Publica Matthæus dum vectigalia curat,
Hunc ad se patrio Christus amore vocat.
Venit enim Christus, non vt sine crimine iustos,
Sed peccatores ad meliora vocet.
Ergò suam puro Matthæus pectore labem
Exiit, & Christi est spontè secutus iter.
Hinc Euangelio dociles instruxit Ebreos,
Inq; pium Christi rettulit acta librum.
Et populos Asia docuit, Ponti q; sequaces,
Aethiopasq; sacra bis duo lustra fide.
Hic mirabiliter Regem conuertit Egyptum,
Cum tota Christum nossent vt ille domo.
Illius hæredem siquidem iam morte solutum
Ex Stygia ad viuos hic reuocauit aqua.
Sed Regis post fata cadit Matthæus ad aram,
Et media exanimis truncus in æde iacet.
Cum prohiberet enim natam ne Regis haberet
Hirtacus, hoc furtim colla secante, perit.
De

Liber tertius.

De S. Iacobo Minore.

*Filius Alphæi, Maria genitrice, Iacobus,
Qui Minor in sacra lege vocatur, erat.
Nominat hunc fratrem Domini scriptura, Sorores
Illius siquidem mater & huius erant.
Huic quoque deuicta soli se morte videndum
Obtulit, è sacra Christus vt iret humo.
Hic foret in Solyma cum factus Episcopus vrbe,
A probitate decus iusticiâque tulit.
Vt Petrus angelica vinclis virtute solutis,
Carcere per laxas exieratq; fores.
Nunciat huic illud: Christi q; triennis alumnus
Paulus ad hunc alia de regione venit.
Hic vt terdenis docuisset alacriter annis
De cruce, deq; bonis Christe benigne tuis.
Deicitur cathedra recutita turbine gentis,
Fullonisq; graui fuste subactus obit.*

De S. Simone.

*Christiparæ pia Martha soror, Cleophasq; Iosephi
Frater, in vnanimi concubere toro.
Vndè Simon Cana Galilæe natus in vrbe,
Publica Zeloten quem monimenta vocant.
Hic pius æternæ factus quoque præco salutis,
Quam generi humano mors tua Christe tulit.
Agnitione Dei septemplicis oppida Nili
Imbuit, & gentes Persia magna tuas.
Vtq;*

Carminum sacrorum

Vtq̄ Palæstinas erat indè reuersus ad oras,
Suscipit officium diue Iacobe tuum.
Præeat in Solyma sanctis vt cætibus vrbe,
Consilijsq̄ pios & bonitate iuuet.
Hæc dum ritè facit, tandè cõprenditur insons,
Aq̄ fero in duram figitur hoste crucem.
Vt sex lustra senex, & centum duceret annos,
Hoc quo Traianus tempore Cæsar erat.

De S. Iuda Thaddæo.

Hunc etiã Cleophas Martha cū coniuge Iudam
Ex infallibili progenuere toro.
Hunc quem Thaddæũ dicunt cognomine Iudam,
Non hunc qui titulos Iscariotis habet.
Proditor iste fuit Christi, collòque pependit,
Hic fuit illarum præco fidelis opum.
Quas patris æterni soboles & splendor, in orbẽ
Aetherea secum Christus ab arce tulit.
Harum participes cum multas fecerat oras,
Incidit in Mystas Persia sæua tuos.
Et miseræ illorum manibus iugulatur iniquis,
Cum geminos sacro vicerat ore Magos.
Argueratq̄ dolos, & inanes fortiter artes,
Quas ea vesano turba furore colit.

De S. Matthia.

Bethleemitana, Christus qua natus, in vrbe
Hic quoque Matthias dicitur esse satus.
Inter

Liber tertius.

*Inter & arcanos veræ pietatis alumnos,
Et consors aditus Christe fuisse tui.
Iscariotis erat cum iam disruptus Iudæ
Venter, & in nudum fuderat exta solum.
Hic ad Apostolicos est sorte receptus honores,
Esset in illustri ne quid inane choro.
Indè piè docuit crucifixi oracula Christi,
Per fora, per vicos, quos Galilæus habet.
Perq̃ Palæstini medias cognominis vrbes,
Adq̃ Dei multos regna docendo trahit.
At cum per sex lustra potēs, ternosq̃ per annos,
Præco tuæ fuerat maxime Christe necis.
Præbuit horrendæ tandem quoque colla securi,
Et tua signavit sanguine dona suo.*

Insignia amplissimæ & Re- giæ ciuitatis Dantisci, Emporij Prussiæ celeberrimi.

*Nobile Dantiscum, quod amænis spumifer vndis
Istula cum Rhodano Motlaviâque rigat:
In clypeo, fului quem celsa Corona metalli
Velat, habet Geminae signa decora Crucis.
Vnâque in alterius quasi culmine desuper astat,
Et latus eductis extat vtrunque typis.
His veneranda potest monstrari Ecclesia signis,
Quæ ferè in hoc mûdo sub Cruce semper agit.
Vtq̃*


Carminum sacrorum

*Vtq̄ pius Daniel, aerumnis pressa, Leonum
Sustinet in tristi multa pericla specu.
Nō tamen opprimitur: quin iusto tēpore victrix
Emicat, inq̄ comis regia ferta gerit.
Accipit æternæ cœlestia dona Coronæ,
Cumq̄ Deo cunctis læta diebus agit.
Vrbs Gedanum felix: habitans Ecclesia tecum
Sicut participem te facit esse Crucis.
Sic quoque perpetui consortem reddet honoris,
In supera afficiet quo Deus arce pios.
Stabis ouans præcinctæ caput fulgente Corona,
Stabis, & in cineres non tua fama cadet.*

FINIS.

Errata.

- B. ij. a. versu 5. Dirorum.
- G. iiij. a. versu 13. Gemmarum.
- G. viij. b. versu vlt. reuersus.
- I. viij. b. versu 9. præcordia.



Postil De festi LVClæ Casta, & Vsanna,
DICTÿr In Le Ctos, Haintzeler, Ise tV,
108.

AB 58731

ULB Halle

3

003 083 586



56







HENRICI MOLLE-
RI HESSI CARMINVM
SACRO RV M
LIBRI TRES.



EXCVSVM GEDANI,
per Iacobum Rhodum.
ANNO M. D. LXIII.

